AZ.
III
X

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
12 1
NAPOLI

Scant. M. N. 2. 35. 50. lit.

~~Scant 25 No 7 lit.~~

Schediaſmata

STEPHANI SIBENLISTI
Hilperhuſani Franci:
In duobus Libellis conſpicienda.

Invido:
Quid mea rodis iners Schediaſmata? dulce palato
Ede melos proprii Martis, & illud ede.

Anno Salutis:
IaM probItas LaVDatVr & aLget.



In hoc libello primo continentur.

Manipulus Epicorum:
Farrago Elegiarum:
Fragmenta Lyricorum.

VIRIS:

Reverendo & Clariſſimo

Dn. MELCHIORI EPISCOPO,

Eccleſiæ Coburgenſis Paſtori & Superintendenti provinciali, digniſſimo atq; vigilantiſsimo:

Juxta ac

Magnifico & Conſultiſſimo

Dn. VOLCKMARO SCHERERO,

J. U. D. Cancellario Saxo-Coburgiaco & Conſiliario intimo, eminentiſſimo atque meritiſſimo:

Nec non

Ampliſſimo & præſtantiſſimo:

Dn. GEORGIO HACKIO,

Rationum & Ærarii ibidem præfecto, ac Conſiliario fidiſſimo:

Ut &

Ampliſſimo & ſpectatiſſimo

Dn. SIGISMUNDO HEUSNERO,

Cameræ Secretario &c.

DOMINIS MEIS ATQUE PATRONIS

Devotiore animi obſervantiâ colendis:

Hunccè primum LIBELLUM Schediaſmatum,

Tamquam Studiorum ſuorum interludium,

lubens-meritò

D. D. D.

Stephanus Siebenlieſt/ Hilperh: Francus.

+ BIBLIOTECÆ CAPUCCINORUM CONCEPTIONIS NEAPOLIS

VT THESEUS olim Labyrinthi truſus in antrum,
Et Minotauro præda vorandus erat;
Niq; ſecutus amans ARIADNÆ fila, nequiſſet
E tàm perplexa ſalvus abire DOMO: (to,
Incautũ ſic me LABYRINTHO incluſit aper-
Subdola vox, mendax livor, iniqua manus.
Tractus in ambages hinc indeq; lumina flecto,
Exitus unde mihi, detur & unde SALUS!
Muſſat amica cohors, ridetq; inimica; ſinitq;
Me Minotauri faucibus objicier.
Heu! nunc in ſummo poſitꝰ diſcrimine JOVÆ
Ac hominum ꝓperam poſco relictꝰ OPEM.
Annuit ecce! DEUS toties in vota vocatus,
Monſtrat & humanum cœlitùs auxilium:
Vos PROCERES monſtrat patriæ vos lumina terræ;
Quos penes eſt miſerũ me eripuiſſe MALIS.
Vos rogo, vos igitur precor, & vos obſecro SUPPLEX,
Sit VOBIS curæ VITA, SALUSq; mei.
In triviis hæreſco: mei miſereſcite tandem;
Ac Ariadnéam porgite quæſo manum.
Liber ut evadam veſtra VIRTUTE periclum,
Ne Minotauri præda futura ferar. (NAS,
Gratus ego VOBIS ſic haſce dicabo CAMOE-
Quas decorat CANDOR, quas decoratq; PUDOR:
Acceptate, fovete, juvate: perenniter ibunt
In veſtras laudes, & modulando DECUS.

Præfatio:

Lectori benevolo animitùs precor

SALUTEM

VIx aliquam rem PISTRINO Scholaſtico æquipollere, æquarivè poſſe, cùm ob miram & miſeram ingeniorum varietatem, tùm ob laboris aſſiduè continuandi moleſtiam: utpote quòd duplici curæ vinculo, cui erudienda pubes, & corporis ſcilicet probè regendi & animi bene fingendi, conſtringatur, nemo mihi in literaturâ hoſpes planè inficias ibit. Itaq; conveniente ſimili uſus mihi videtur is, qui molem iſtam laborum SAXO Siſyphi comparârit: Sed nec ineptè etiam locutus emerit s ille in paleſtrâ Scholaſticâ miles, qui malle ſe regione lere Acherunticas, quàm ingratum LUDI literarij mini..è ludicri pulverem devorare, adſeruit.

Hinc luce meridianâ clarius eſt, quod non abs re hujus LIBELLI mei frontem χειλάσματος nomine ſignârim: In PISTRINO enim Scholaſtico ipſe ego cum hîc per decennium laboro, officioq; ſatis fideliter (abſit arrogantia dicto) ſed pro exantlati laboris præmio, uti proh! ſentio, non ſatis feliciter fungor, adeoq;

etiam dum erudiendæ pubi ME & publicis conſuetis & privatis ſingulorum dierum aliquot horis, conſcientæ ſuaſu, totum quaſi conſecrârim & emancipârim, reliquum profectò otij haud aliter, quam σχεδιάζοντι exercitijs poëticis largiri licuit. Neq; enim placuit (quod ſimilis infelix turba conſuevit) moleſtias librando, ingratitudinem Neronum & Buſiridum animo recoquēdo, aut vitæ ſtatum deploratum faſtidiendo perdere: ſed quidquid illiꝰ ocij, à turbis ſcholaſticis & lectione haud prætereūdâ ſacrâ, fuit, quaſi ἐκ παρόδου genio Poëtico tribuere. Oportuit ꝓpterea σχεδιάζειν; neq; tamen frivolo laudis occupandæ ſtudio, vel odioſo ingenij oſtētandi deſiderio: Id quod rigidior Ariſtarchus aliquis calumniando cenſuerit: Quin potius, Deo auſpice, naturâ Duce, ſingulari quadam animi propenſione in hoc ſtudij genus, me ferri ſenſerim; nolui igniculos illos quales-quales non fovendo reſtinguere, aut naturæ ductum excutere, laboremvè hunc, qui jucundꝰ animi luſus videtur virentioris, detrectare.

Fateor autem ingenuè tenuibus hiſce meis verſiculis nullam ineſſe gratiam, parum elegantiæ, majeſtatis minus: quid ergo inde venari, & reportare laudis vel ingenij ullius oſtentationem auſim inſtituere vanam? Σχεδιασμάτων proinde, ut nomen reipſâ habent, & jus eorundem ita illis conceſſerint: Imò à cenſoribus rigidioribus & Ariſtarchis meis iniquis rogârim, legant ea, non ſingula ἀκριβῶς rimando, neq; ad vivum quævis reſecando; ſed amicè indulgendo omnibus limâ accuratiore indigentibus.

Accidit etiam, ut, ſi quando à laboribus immunis, pro neceſſitate rei domeſticæ noñumquàm excurrerem (quis enim vetuerit me SUTRIUM ire?) inter eundum,

cum

cùm viderer maximè ocioſus, ad exemplum tamen Scipionis veræ ſedulitatis vivum, minimè ocioſus fuerim; & quaſi aliud agendo verſus nonnullos horum, quos vides Lector, non anxiè admodum præmeditatus finxerim; domumq; reuerſus utcumq; natos colligendo chartis mandârim: quin exindè σχεδιασμάτων cognomen haud, quàm immeritò effugerint. Exilia hæc, qualia revera ſunt, omninò mecum occultare nulloq; modo publici juris facere uſq; certus fui: præſertim cùm Titanorum & Subditivorum amicorum officium importunum editioni illorum pilum obijcere moliretur: Plurimum tamen Pyladum meorum perpetuis celebranda encomijs LIBERALITAS; ingenua item non leviculis niſa rationibus INSTIGATIO apud me invaleſcens ad eorum editionem me tandem impulerit. Cum enim obijcerem vilia eſſe & exilia, nec ad exactioris diſquiſitionis incudem revocata: Eruditâ Hoc inverſione, ſcilicet, quia exilia, ideoq; amicis non deneganda, ſolventes obtinuerunt. Inſtanti mihi: indigniora eſſe, quàm ut virûm limatioris judicij adſpectum intuerentur, occinunt protinùs Philoſophi illud Stagiritæ: Scientiam qualemcunque eſſe bonam & honorabilem: Imò & illud Scaligeri acutiſſimi: Quod poſſumus, tanquàm moderati Oeconomi, agamus: Et tritum illud Ariſtoph. ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Horum politis judicijs refragaturus, ex hominum cenſu & ſenſu, id quod de Hylymachis & Steriſimaſtigibus Scaliger pronunciat, eximendus fuerit.

Cæterùm ut me omnium æquorum judicio expoſitum patior: ita me iniquorum telis exceptum iri nequaquàm ambigo: haud enim umquam, ut nulla nix ſine albore (quod tamen Anacharſis, ſed ridiculè, negavit) aut Virtus ſine invidiâ, quiſquam omnia Veritatis

 bilan-

bilance librans vel ſupparaſitari neſciens ab inimicorum ſtimulis & ſpiculis tutus evaſerit: Suos quisq; patimur manes. Habuit proinde Minerva ſuum Momum: Homerus Zoilum: Cicero Vatinianum: Cæſar Brutum. Quî ſolus ego Clariæ turbæ minimus à morſu Halophantarum liber ero? Vel quis deinùm mecum? Siquidem ex muſca ELEPHANTEM facientes pro organicoſâ & odioſâ ſuâ liberalitate, quidlibet arrodunt, mihi affingentes, quod ne per ſomnium aut nebulam quis viderit umquam: adeò ſunt ad vera dicenda LENTI, ad fallacias ſtruendas nimis VIOLENTI.

Cur non verſiculis meis aliquid periculi à Sycophantis ſuboriturum timeam, cum ipſemet ab amicorum quorundam meorum conſuetâ benevolentiâ me jam deſeri abs re in pluribus tàm dolenter quàm admiranter ſentiam? Verè ex ſententiâ M. Tullij; Non facilè dijudicatur amor VERUS & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis, periculo aliquo perſpici poſsit. Hîc verò quid conſilij? In communi morbo, commune remedium: ſcilicet ad ſuaſum Thucyd. χρὴ φέρειν τὰ δαιμόνια ἀναγκαίως, adhærendo JOVÆ, ad exemplum Antigonis Regis; & quia claſſes perduellium duplices ſunt, continuis precibus Hunc ſolicitando, ut contra frivolorum morſûs ipſe me tueatur, faciatq; ut à fucatorum obtrectatione, mediocri curâ mihi ipſemet caveam: quin & ſtudendo bonæ conſcientiæ: Hic murus aheneus eſto, nil conſcire ſibi nullâ palleſcere culpâ. Utut ægerrimè, mihi faciat amicorum non-amicorum inconſtantia, & illorum ceu hoſtium juratorum morſus me acriter pungant: conſcientiæ tamen illæſæ dulcis conſolatio inſtar LECTI cum Bernhardo mihi fuerit, in quo ſuaviter ceu in DEO ipſo ejus auctore & propugnatore, acqui-

quieſcere tutiſſimè poſſim: quod ſi & inconſtantium non-amicorum conſcientiæ & ipſis inſtar Lecti eſſent futuræ, in quo quidem cubarent; ſed haud aliter, quàm æger perpetuos ſentiens cruciatûs!

Fuerint illorum quotqot, neſcio cujus me inſimulantium vel inſcitiæ vel negligentiæ: fore tamen credo ex hiſcè meis verſiculis, eorum, ùt accuſationem mendacem & fallaciſſimam; ſic conſcientiæ & cauſæ meæ integritatem Omnibus Bonis perſpicuam & manifeſtam. Quis enim non viderit, quid diſtent æra lupinis? Miror hujusmodi homines humano more non etiam aliorum morſus ſibi ſuisq; morari & cavere, ne proprio ſibi jumento aliquid accerſant mali: Non noverint fortean illud ex oratione quadam Beroaldi: citatum à D, Barth. Caſſanæo in libro Catalogorum gloriæ mundi: part. 10. conſid. 45. fol. 207. adfirmantis: Solis pænè Poëtis datum eſſe, ut ad laudandum & vituperandum pariter ſint accommodati: Et quemadmodum immortalitatis laude donentur illi, quos verſibus extollunt: ita indelebili ij quoq; notentur infamiâ, quos maledicis carminibus inſectentur: Meritò itidem nos Socrates Platonicus admonet, ut diligenter caveamus, ne poëticum hominem quempiam nobis infenſum habeamus: Sic ille. Ejusdem ſententiæ fuit & Friſchlinus in doctiſſima præfatione Poëmatib⁹ Frencelij ſacris præfixâ. Quibus tamen ego non ſubſcripſerim; neq; ullum perſtringere conſtituerim; Quin illos καρδιογνώϛῃ ἐκδίκῳ ὄμμα habenti commiſerim! Raró enim, rectè ſentiente Flacco, antecedentem Sceleſtum Pœna pede ſequitur claudo. Nec Plauti haud impia ab hoc abludit ſententia, improbis noſtris exprobanda, in Rud, Prologo:

COTIDIE ILLE (Iuppiter) ſcit, quis hîc quærat malum;
Qui hîc litem apiſci poſtulant periurio,
Mali res falſas qui impetrant apud judicem:
ITERVM ILLE EAM rem judicatam judicat,
Majore mulctâ mulctat, quam litem auferunt.

Tandem, Lector æquanime, iſthæc mea immaturiora quæ tibi videnda, legenda, júdicanda explano, ut candidè tuteris, per tuum CANDOREM te obſecro & obteſtor.

Mali verò, & quibus perverſum eſt judicium, quin antiquum ſuum obtineant, nullus dubito. Vix etenim alia eſt facies noſtri ſeculi ab ea, quæ Friſchlini fuit temporibus: De qua ſic ille in præfatione quapiam ad Invictiſſimum quondam, nunc Beatiſſimum RUDOLPHUM II. Imperatorem: Eſt vulgò hodie ita comparatum, ut quæ imperiti & iniqui rerum arbitri non intelligant, ea negligant, eademq; vituperent, & quæ vituperant, eadem ab alijs omnibus negligi & vituperari expetant.

Sed ut Suffenos iſtos nihil moror: ita tuum, benevole LECTOR, candorem magni æſtimo; & ſi benignioris ocij ratio ſuaſerit, terſiora tibi polliceor: VALE.

Ad Auctorem
Dn. STEPHANUM SIBENLISTIUM
Scholæ Eisfeldianæ Conrectorem
non malè meritum:

VT tua commendem, Sibeliſti, carmina, multùm
De partu ingenij ſollicitus, rogitas?
Quid rogitas? pueros meminiſti ludere noſtros:
VENDIBILI VINO NON OPUS EST HEDERÂ.

MELCHIOR EPISCOPUS
Paſtor Eccleſiæ Coburgenſis & Superintend. Provincialis.

SEPHANUS SIBENLISTIUS
SCHOLÆ EISFELDANÆ
CONRECTOR
μεταγραμματικῶς.
Septenas artes bene tenens, hôc
Scholæ jura fidelius colis.

Ap-

APPLICATIO.

SVnt divina Scholæ nitidi plantaria cœli,
Hinc ſtirps proveniens, ſurculus inde viret.
Temporis eduntur progreſſu germina plura,
Diverſi generis pomaq; proveniunt.
Dum ſapor huic acidus, jucundus at inſitus illi eſt,
Vt diverſa volunt nempe palata virûm.
Vt penetrent homines ſubluſtrem numinis aulam
E Bibliis didicit myſta docere ſacer.
Idq; Paracleti monitis donisq; verendis,
Linguarum nec non cognitione cata.
Vt poſſint homines pulſa lue vivere ſani,
E ſcriptis petitur magne Galene tuis.
Abdita naturæ reſeranda latibula ſunt heic,
Quæq; creant morbos mominaque quæq; fugant.
Vt violatorum vim plebs devitet egena,
Legibus eruitur, Iuſtiniane, tuis.
Hæ nequeunt niſi doctrinâ, ſtudioq; frequenti
Cognoſci trepidis attribuiq; reis.
Quanta ſit utilitas, uſus quantusq; ſcholarum
E dictis notum cuilibet eſſe poteſt.
Felix cui teneræ pubis myrmecia curæ
Hæc eſt, ſeu foveat munere ſeu doceat. (ARTES
Te quoq; felicem, Sibeliſte, TENENS BENE *qui*
SEPTENAS COLIS HOC IVRA SCHOLÆ
melius
Iura Scholæ melius colis atq; FIDELIVS *idem:*
Quæ rudis ignorat tradere nemo poteſt.

Andreas Mergiletus Senior, Paſtor
Mylſeldanus. P. L. pauliſper
ante obitum faciebat.

Invi-

INvidet Aonidum ſtudiis rudis arte popellus,
Nec vel in extremâ ſede locanda putat.
Odit olorinos cantus malè garrulus anſer,
Fingere qui neſcit Carmina, temnit iners.
Hanc ſeptemgeminâ, SIBELISTE polite, Chimeram
Ingenii vincis calliditate tui,
Rurſus & emittis venâ prædivite verſus,
Quos rigidus Momi Calculus ipſe probet.
Macte ſagax animo tali, taliq́ labore
Incole palladium pervigil usq; nemus.
Non te Myſorum revocet poſtremus abortus
Nec vertas animi candida vela tui.
Optima laudatis laus eſt placuiſſe; ſed aſſis
Nullius obſcuro complacuiſſe gregi.

M. Michael Selt Hilperhus.
Eccles. Paſtor.

HÆc, EISFELDIACOS hoſpes dum tranſeo muros, (tuis.
Do tibi pro meritis, mi SIBELISTE,
Plura quidem libuit dare: Sed tibi quid dare poſſum,
Qui ſolus Muſas, carmina ſolus habes.
Ut tamen hæc canerem, gratus perſuaſit Apollo (ipſe DUCEM.
Quo Duce tu VATES, quem ſequor

Ianus Heinricus Scrôterus de Gûſtrovv, Megapolitanus, Eques, & P. L. Cæſareus.

Votum.

VOTUM.

E Stne, quod inijciat tibi, SIBENLISTE, timorem? (rent?
Eſtnè,quod impediat? quæ te veſtigia ter-
Sunt forſan Momi morſus? Sed opinio fallit:
Non eſt,quod metuas! ad apricas prodeat auras
Dulce poëma tuum, & ſpecimen ſeptemplicis aſtûs
Monſtrabis; quod ſi tu contrà audentior ibis!
Vim tibi tu facies aſturam & robore Momi
MAJOREM,& στεφάνην laudemq́; mereberis AMPLAM.

M. Balthasar Bertsch.

Μ Υρί' ἔδως τὰ μέλη, χάριν οὔποτε μυρίαν ἕξεις.
ἔσται ὄνειδός σοι, σμικρὸν ὄνειαρ ἐμοῦ.
Μῶμός τις γὰρ ἀνὴρ, τὰ μελήματα σεῖο ἐσιδών,
αὐτίκα ῥηγῆναι βούλετο δυσμενέων.
Μουσοπόλου, ἔφη, ἑπτὰ δόλους οὐκ ἐντὸς ἔχοντος
Κεῖνα ἔπη πέλεται, μουσοπόλοιο κακοῦ.
Ψεύδεα πύκν', ἀμαθῆ, καὶ ἄμουσ' (οὐ λεκτὸν) ἄεισεν,
Οὐ ποιητὸς, φθοίου ἀλλ' ἄξιος, ἠδὲ φυγῆς.
ὡς φάτο. Οἷσι δὲ νοῦς ἔγκειτ' ἐνὶ φρεσὶν ἀμείνων,
Τοῖσ' ἀψευδὴς, καὶ δεινὸς ἀοιδὸς ἔφυς.
Καὶ τίς σοὺς ἀγαθὸς ποτ' ἀνὴρ ἐπιμέμψεται ᾠδὰς,
Κὠδοῦσας γε σοφοὺς ἔνδοθι ἑπτὰ δόλους;

καὶ

Καὶ τὶς ἔπη εὔφρων τεὰ μωμήσαιτο ποτ᾽ ἀνήρ;
οὐδὲν ἔνι βλαβερὸν, χρήσιμα πολλὰ ἔνι.
Τίς δὴ, ὀλίγον λιγυρὸς, κακά σοι λέξειεν ἀοιδῷ;
Μὴ γὰρ ἀτερπὲς ἐρεῖς, ἐσθλὰ, μελίφρον᾽ ἐρεῖς.
Χαιρέτω οὖν μῶμος μέγ᾽, ἐπεὶ παρὰ σοί γ᾽ εἰσι πολλοὶ,
Οἵγε σὲ τιμῶντες, καὶ σά βέβοντες ἔπη.

Mauricius Sangut.

Anagramma:

STEPHANUS SIBENLISTIUS:
In te eſt bis, ſal, penus, vis.

I, mea Muſa, novam STEPHANO nunc necte CO-
Et dic Huic Encomium. (RONAM;
Is Lauru dignus: Nam dat Schediaſmata pulchra:
Eſt ille verus artifex.
Nomine cum verô meritam tenet ille CORONAM:
Hanc laude namq́; promeret.
Poſcito mox igitur Laurum; digniſſimus Hac es:
Cura nec invidos Tibi.
Tu SIEBEN-re-LISTIVS es, clarusq́; Poëta,
Per Artium SEPTEM DOLOS.
Artes Tu fallis, nec falleris artibus illis:
Politiores haſcè das.
Seria dico Tibi, nec nunc mea Muſa jocatur,
ARGVTVS es vel SEPTIES.
Vis breviter dicam, Virtus quæ ſit Tibi lata?
IN TÈ BIS EST VIS, SAL, PENVS.
Vis eſt Virtutis, Sal doctrinæ, Penus amplum,
In artibus bonis Tibi.

Ede

Ede foràs igitur. Quid proſunt carmina blattis?
Mus rodit; odit Momus Hæc.
Prome foràs potiùs: Nec carminā ſupprime doctas
Abſtruſa gaza nil juvat.

Aliud:

STEPHANUS SIEBENLISTIUS IN SCHOLA EISFELDIENSI CONRECTOR, ET POETA CLARUS:

IN TE BIS PALLAS, RES EST, AC FLORIDA VIRTVS;
NE, PIE, TE CELES; SIC ONVS, HINC & HONOS.

Johannes Hoffer Coburgenſis Francus F.

EISFELDAM veni peregrinus, transq;-mamarinus,
Ut mores hominum conſpiceremq;
Ut veni, ut vidi Curios & (fronte) Catones; (ſitū.
Vidi & cum Muſis TE, SIBELISTE, tuis.
Tu, Muſæq; tuæ mihi perplacuêre: quid inde?
Accipe: Sal Muſis, Candor ineſtq; TIBI.
Hinc mihi tres HORÆ tecum CHARITESq; pararunt
Firmum perpetuæ ſtamen AMICITIÆ.
Non hanc diſrumpant Bucco, Cleccóvé: perennet (MOR.
Corpore disjunctis: mente ſed arctus A-

Joachimus Trancéus, Scrunda-Curlandus.

STE-

STEPHANI SIBENLISTI
Hilperh. Franci
LIBELLVS PRIMVS

Schediaſmatum.

MANIPVLVS EPICORVM.

Metrum Epicum.

Ex capite 53. Jeſaiæ Prophetæ verſum.

ECce! meus SERVVS faciet ſapienter, in altum
Et ſublatus erit ſublimior omnibus; ut Tu
Sis offendiculo multis, deformia propter
Signa tui vultûs, mortalibus æqua nec ullis:
Haccé madefaciet multas adſpergine gentes,
Et REGES illi ſubjecti preſſa tenebunt
Ora: quibus RES eſt abſtruſa, vidére voluptas
His erit: & numquam, ſubolebunt tale, videntes.
Sed noſtris verbis fidei vim quis dat? & eheu!
Brachia cui Domini, cuînám dilecta pateſcunt?
Nam ceu virgultum *ſurgendo repullulat: & ceu*
Surculus *è terrâ bibulâ revireſcit: in auras*
Ipſemet en ſuperas ſic & de pulvére tollet
Brachia: Non ſpecies in Eo, nec forma decóris.
Nos contemplabamur eum; ſed linea vultûs
Nulla renidebat, qua delectabilis *eſſet.*
Hic nimis abjectus, ſpretâ quoq; vilior ulvâ,

B *Cordis*

Cordis abundabat morbo, mœrore, dolore.
Opprobrium triviale fuit, fuit abſona vulgi
Fabula; velaret vultûs ut ab illius almo
Quilibet ore: proin hili *non pendimus ILLVM.*
Ipſe profectò tulit languoris tædia noſtri;
Tranſtulit anxiferos in ſe noſtrosq; dolores.
Nos verò ſine mente VIRVM reputavimus illum
A Domino *veluti preſſum, velutiq; cruenter*
Ferrea divini ſubeuntem flagra *furoris:*
Noſtra ſed ob peccata, tulit fera vulnera, noſtra
Ob ſceleroſa fuit percuſſus facta; recumbit
Ipſius in gremio noſtri vindicta reatûs,
Pacis ut auriflua potiamur frunde decorâ:
Sanatiq; ſumus livore *ſalubriter ejus.*
Omnes errabamus OVES, ceu mortis in umbrâ,
Quiſq; viæ propriæ veſtigia curva *legebat*
Avius: *at* Dominus *peccati pondera noſtri*
Ipſius imponens humeris, nos faſce levavit.
Preſſus & afflictus non movit opercula ſancti
Oris, uti patiens lanienam cum ſubit AGNVS,
Atq; obmuteſcens OVIS in Tonſoris aperto
Auſteri gremio, non balat labra movendo.
Ipſe ſed ærumnis ſublatus judicioq;
Evaſit: vitæ dignis quis ſecula *verbis*
Exprimet illius? Nam de tellure beatâ
Viventum *direptus, ubi pro crimine lapſi*
Divexatus erat populi: reprobosq; ferebat
Forma *ſepulturæ: MORS & locupletibus ejus*
Par erat: haud umquam quamvis maleſecerat ulli:

Subdolus

Subdolus illius labijs nec inhæſerat aſtus:
Myſtica *ſed Domini regnantis in axe* voluntas
Hunc ita concuſſum voluit languedine morbi.
Si pro peccatis Animam deduxerit, annos
Semen in immenſos *benedictum cernet, amicâ*
Illius inq; manu procedet ſancta voluntas
Cunctipotentis HERI; *quod deſudaverit ejus*
Vis animæ *ſatis: hinc oblectamenta videbit*
Pectoris, inq; penu pingui, nullius egebit.
Cognitione ſuâ, SERVVS *meus* undiq; juſtus
Multos juſtificabit: Eorum namq; recepit
In ſe nævorum molem, *gravitate moleſtam.*
Propterea multas ipſi donabo catervas,
Inſtar & HERCVLEOS ſpoliorum *victor habe-*
Scilicet hoc ideò: *vitam ſacrare cruentæ* *(bit.*
Quod voluit morti, reprobosq; ſimillimus inter
Factus erat reprobis, qui vixit criminis expers.
Scilicet hoc ideò: *Nævos quod ſuſtulit* VNVS
MVLTORVM: *nec non pro tranſgreſſoribus orat.*

EXTREMUM VALE,
quod
CHRISTOPHORUS PHILIPPUS AB HESPERGK, EQVES FRANC.
moribundus dixit
UXORI:
FILIIS:
SOCERO:
FRATRIBUS & COGNATIS.

I.

Ad Uxorem.

A*Lloquor* extremùm, *mea Te, peramabilis*
VXOR,
Corq́; *meum, vitæ* pars *altera, nobilis Vxor:*
Nunc mihi diſrumpit ſtamen fatale ſororum
Inportuna *manus veterum; nunc funere raptus*
Occido: diſcruciante ſed occido funeve lentus.
Bis ſenos *etenim* menſes, *furibunda cerebrum*
Exſuxſit Lacheſis rabioſo *gutture: Tandem*
Vt ſatiùs morier ducam, quàm vivere vitam
Talem: ſed moriens uberrima ſemina luctûs
Linquo tibi: verùm planctus cum proficit haud quid,
Suadeo, ne nimio, meâ tu, *te confice luctu.*
Iam me fata vocant, quibus eſt obſiſtere durum,
Hinc diſcedo proin: ſed tu cariſſima Conjux,
Æternùm ſalve! *prædulce* valeq́; *per ævum;*
Donec in Empyreo Tuba *nos conjunget* olympo.

Ad Filios.

Vos, mea progenies, ſanguis *meus, optima* proles:
Maſcula quos virtus, genus & quos ornat avitum:
Vos tandem expirans tygnéâ voce ſaluto,
Admoneoq́; fide junctos & pectore ſemper
Vnanimes, Pietatis ut & virtutis *in orbe*
Currentes ſtadium, famam *quæratis honeſtam.*
Non ego Pactoli, *nec munera divitis* Hermi,
Linquo receſſurus vobis: ſed nomen *honeſtum:*
Hinc ſalvete *mibi, ſanguis meus, atq́;* valete.

Ad Socce-

Ad Socerum.

Quo te *conveniam gemebundum famine? quo* te,
O Pater, *ô dilecte* Socer! *conſoler humandus*
Ante diem? dum nos præpoſtera fata cruentis
Sejungunt manibus, prius & me gurgite mergunt
Lethæo: dum tu confectus pluribus annis
Iam pede contingis cymbam *trepidante* Charon-
Claudere nempe tuos meme decuiſſet ocellos; (tis:
Si modò fatorum ſeries procedere curſu
Simplice *conſtituiſſet: at hoc mihi fata negarunt*
Atq; tibi. Quaré Superis *quod perplacet, illud*
Et nobis placuiſſe decet. Namq; auſpice Jova
Naſcimur & morimur: *vixi moriturus ad ejus*
Nutûs: Dico vale *& terris, victurus in axe*
Ætheris. En! præeo: mea tu veſtigia tandem
Collige: Cœlituum nos conveniemus in aulâ.
Hinc mihi ter ſalve, Socer *ô dilecte,* valeq;!

Ad Fratres & Cognatos.

O dilecta Domus *Proavûm, ô Heſpergice* ſanguis!
Qui Florem *veteris retinere propaginis aureûm*
Gaudes; Compello vos Fratres atq; Propinquos
In conſanguinitate mihi, pro Stemmatis ortu:
O quoties ſolitas haurire & promere voces
Conventum eſt? quoties etiam ſermonibus horas
Traximus? Aſt nunc nunc brevis ad compendia vitæ
Ultima *perveni; vitæq; nihil mihi reſtat.*
Ergoné ploratum dabitis, luctuq; trahetis
Tempus? & accipient inconſolabile vulnus
Veſtri animi? Fateor, plorare in funere fratris,

Eſt fratrum: Sed magnanimos compeſcere fletum
Et ſervare modum; vultûs decet: Ergò dolori
Inſidias ſtruitote, nec hoc tabeſcite luctu.
Ex oculis rapior veſtris, me ſubijcit & mors,
Quem non Gradivus, *quem non* Bellona *potenti*
Subjeciſſe manu potuit. Quid? Semita nobis
Omnibus hæc calcanda patet: compeſcite luctum:
Separor, haud morior. Quos linquo mortis in actu
VXOREM, SOBÒLEM, SOCERVMq́ʒ fideliter aurâ
Cuſtodite Favoris: *Et hinc SALVETE, VALETE.*

Ad M. JOHANNEM FABRUM, Rectorem Gymnaſii Caſimiriani Coburg.

Cum inde
Eisfeldiam, ad Superattendentiæ functionem ibi capeſſendam commigraret.

LUbrica *ſunt quæcumq́ʒ* tenes, *quæcũq́ʒ* tuéris
Hoc ſuper orbe; quies ubi nulla, nec ulla ma-
Sedes certa: vocant nunc hùc, hinc ocyus illùc (nendi
Myſtica fata, *nec eſt illic conceſſa morandi*
Copia perpetui, ſub amicâ ſorte, tenóris:
Sed pede diverſo cœleſtia fata ſequentes
Digredimur, nunc hâc, nunc illâ ſede remoti.
Hic etenim patriæ gratâ telluris ab orâ
Muneris addictus ſparta, ceu cantibus Orpheus,
Migrat, ut excítus virtutum verbere, laudis
Nobilioris amansq́ʒ, ſibi monumenta decora
Acquirat FAMÆ, famamq́ʒ manentibus indat
Mnemo-

Mnemoſynæ *tabulis*, & Recti *conſtia ſervet*
Pectora,non lethi *jaculis ferienda nec* ORCI.
ILLE migrat,migrat ille ſimul,ſed diſpare greſſu
Diſparibusq́; viis hinc inde perambulat Orbem;
Quem vel in illicitâ culpæ patratio vitâ,
Finibus è patriis detruſit atrociter; aut quem
Viſendi varias urbes,gentesq́; repoſtas,
Illarumq́; probos *mores tenet alta cupido:*
Et quos ſæpe videt; ſed inertèr abutitur illis,
Vtitur & contrà moroſis moribus: Olſi
Ruſtica ceu Soboles & Macci *Filius: Anſer*
Et veluti cœlum mutans, redit eminùs ANSER.
Tu quoq; linguarum Scrutator & artis & almi
CODICIS, *obſervande* FABER, *ſub muneris auſu*
Cœlitùs indulti,migras hinc atq; remigras:
Nec ſtabilem *reperire potes ſedemvè locumvè,*
Tutus ubi MVSIS,hominiq́; DEOq́; litares
Ingenii dotes conſtanti corde profeſſas.
An non Gymnaſium IOVÆ Muſisq́; ſacratum
Hoſpitium, ſtruxit quod provida cura benigni
Principis & PATRIS PATRIÆ, non laude ſilendi,
Nuper in VRBE Coburgiacâ clarumq́; novumq́;
Præbeat ulla ſuo RECTORI commoda ſedis
Tecta perennantis? non tantæ *ſufficit Ædis*
Ambitus? aſt aliò tandem diſcedere gaudes?
Scilicet *& tecum gaudemus & ore favemus:*
Non etenim temerè diſcedis & incluta linquis
Sponte Lycéa,locum tibi conceſſura libenter:
Nec temerè linquis IVVENES pietatis & artis,

Auriſluæ limâ poliendos: Enthea ſed te
Avocat ætherei Majeſtas *Numinis, & te*
Faſce levat grandi; tandem miſerata laborum,
Quos exantlaſti Ludi *ſub pulvere ſolers*
Annos per multos, ubi ſedulus arte magiſtrâ
Ad Lydium lapidem formaſti pectora pubis:
Nec minus exemplar pueris imitabile vitæ
Egregiæ præluxiſti, Drachmamq; *fidelis*
Conceſſam tibimet cumulaſti perpetis uſûs
Multiplici lucro, Famæq; ſalubribus auſis
Integræ ſpecimen ſolidâ cum laude paraſti.
Hinc Deus, ut Drachmæ largitor olympicus, in te
Acre lucri ſtudium, lucriq; numiſmata vidit,
Dixit: adeſto mihi dilecte per omnia SERVE:
„ *Euge, fidelis in hoc fueris qui munere;* magnum,
„ *Ecce! tuis* magnum *ſcapulis committo* talentũ!
Qui prior hîc animos virtutum floribus, artis
Atq; thymo *ſapido paviſti gnaviter:* Ecce!
Tu poſthàc animas, *quæ pars contermina nobis,*
Chriſtiadûm ſatures cœleſti gramine; *verbo*
Scilicet æthereo, populoq; fideliter illud
Explanes, Nomenq; meum per climata terræ
Dilates, ut honos mihi debitus undiq; creſcat:
Ni facies, Matuta tibi non ſurgat ab ortu.
Hîc modò fige pedem, locus hic, quem monſtro, quietis
Eſt ſedes: *ſatis eſt toties mutaſſe penates.*
I nunc invidiæ ſoboles; dic ſæpius hinc &
Inde locum mutare Fabrum, *nec ſede morari*
In fixâ: nihil hoc ad te! Sic muneris Auctor
Munera

Munera diſponit Deus & ſubeunda miniſtrat:
Taliter & doctos plebêïs eximit umbris,
Taliter eximiæ, reparatur adórea laudis.
Annue proïnde lubens, divinis annue juſsis,
Et pede non dubitante ſequens, te confer ad urbem,
Cui glacialis *humus propriïſsima nomina fecit.*
Hùc celer ergò veni ſtipatus ab agmine cœli
Aligero, regimen felix quoq; ſuſcipe templi,
Suſcipe noſtratis nec non moderamina Ludi:
Et Collegarum cauſſam defende, quoad jus
Poſtulat, & cauſſæ ratio pro jure: quid autem
Apprimè memorem moneo; quem ſæpiùs antè
Pulverulentæ ſcholæ preſsit moderatio? Pol tu
Non ignare mali miſeris ſuccurrere noſti!
Sic Pietas, ſic ſancta Fides, ſic gloria Jovæ
Dia Miniſterij per & organa, perq; Lycêi
Collegas *conſpirantes concorditer unis*
Mentibus accreſcet, ceu propter littora Myrtus.
Sic & in officio ſucceſſus & omnia fauſto
Tramite procedent: ſic vita *ſalusq; decenter*
Annorum longâ ſerie florebit, & uſq;
Sic palmare decus *tibi nomen honosq; virebunt;*
Et veluti enódes *cedri, cum tempore, creſcent.*

ECLOGA
In Nuptias ſecundas
JOHANNIS LATERMANI PRÆfecti Eisfeld. circumſpectiſſimi:
E T
ANNÆ Ritterin VIDUÆ:

Cujus interlocutores ſunt

FAUSTUS & ALPHUS.

Fauſtus PErgite, *lanigeri ſoboles gregis, ite gemelli:*
Pergite, jam lucem revehit matuta quadrigis,
Lucem, quæ vobis hodiè ſuprema *vigebit:*
Quamprimùm fumantis enim calcabimus urbis
Limina, per jugulos veſtros figetur acutus
Culter, uti dapibus genitalibus addita ſitis
Portio; *quas hodiè LYCHNANDER præbet ami-*
Ite, præit nobis, non tardis paſſibus ALPHVS: (cis.
Alphe parùm greſſûs inhibe, comitemq́; paꝛumper
Præſtolare comes: *via gratior una duobus:*
Quid vitulum cædis? vitulum conjunge gemellis
Alphe *meis; eadem dum nos via ducit in Vrbem.*

Alphus *Fauſte, lubens ſiſtô: vitulus quem vimine cogo*
Me feſſum ſubigit: viden' ut pinguedine pollet,
Annuus ac eſſet? tantum tres, ubera ſuxit
Ogdoadas: nunc de vitulo cognoſcito matrem,
Quæ bis quotidiè complet mulctralia lacte:
Hunc ego deſpondi Tædis quas NISA celebrat,
Quas hodiè peragit Junone *favente: videtur*
Quid tibi de vitulo? ſed cui promiſeris agnos?

Fauſtus *Hos quoq; deſpondi* ſacris *ſolemnibus agnos,*
Quæ Lychnander *agit* Sponſus *cum cœlibe* Niſa:
Et licet ex alijs complectar amore gemellos;
Dum teneri, dum vix ab ovilibus extraho raptos:
Attamen haud quicq̃ Lychnandri *denego tædis:*
Fidus enim tutatur oves, oviumq́; Magiſtros.

Me quoq; Niſa fovet, fractis ſolatia rebus — Alphus
Sæpius exhibuit pecori, pecoriſq; Magiſtris
Promta per æſtatem, per frigora profuit ultrò:
Ex merito vitulum cuî defero: Fauſte gemellos
Vt tu Lychnandro: Res una duobus in Vrbe
Expedienda: proin comites properemus in Urbem.
Alphe, nec inviti: ſiquidem ſpectacula tanti — Fauſtus
ConviVI; tot ubi Proceresq; viriq; potentes
Conveniunt, oculos paſcent, animoſq; replebant
Lætitiâ: cujus quondam meminiſſe juvabit.
Eſt aliquid ſpectare viros, ſpectare Dynaſtas,
Et ludos, dubiaſq; dapes, Cererisq; paratum:
Eſt opus hiſcé frui majus, meliusq; palato.
Quando, papæ! mecum meditorq; animoq; revolvo,
Quid Mops⁹, Corydon, Ægon, Melibœ⁹ & Ol-
Hactenus attulerint, de manè crepuſcula donec (per
Ingruerent noctis, ſtupeo: ſtupuere videntes.
Mopſus gallinaſq; coëmit ubiq; caposq;:
Sed Corydon volucres decepit & attulit: Ægon,
Semicaper quem Pan adamat, de matre capellas:
Et pecoris locuples Melibœus pingue butyrum:
Attulit Olper adhuc quater ova recentia centum.
Aſt nihil accipitur gratis, neq; poſcitur; erres
Vt minus: omne citò numerata pecunia ſolvit:
Ac ita nil deſit: penus inſtructiſſimus hîc eſt. (cenſes?
Quid, bone Fauſte, mihi? quid, Fauſte, minuta re-
Quid volucresq; caposq;? quid ova? pecusq; petulcum?
Quid mihi gallinas narras? narrasq; butyrum?
Ipſus heri vidi tauros adducier; ipſus

Advehier

Advehier cervos vidi,munuſcula noſtri
Principis; *hinnuleos &* Principis *altera dona.*
Non referam lepores hinc quot,quot & inde recentes
Nobilium vicina *manus,pro munere miſit.*
Singula non memorare queo: Nam copia victûs
Tanta ſubeſt, Urbs *ut poßit ſaturarier iſthac.*

Fauſtus *De locuplete penu fari nil præſtat, ô* Alphe!
Veſcier hoccé juvat: quod opus vel carcere dignum.
Ora tuo ſermone mihi ſpumant,& orexis
Me citat: Alphe tuæ quæ mentis opinio? quâ re?
Qua ratione poteſt noſtrûm vel uterq; fruiſci
His epulis? Genioq́; *ſemel laxare capiſtrum?*
Sic mihi ſuccedat, ſpero: dum ſuſcipit agnos,
Aut cocus,aut alius; facilem tunc promtus opellam
Obtulero lignis findendis: flectere vel quod
Nemo velit, faciam: Lychnander *reſpuit haud me:*
Non operamq́; meam; cujus me gratia *ſervat.*

Alphus Fauſte *ſapis: quod ſi parili ratione poteſſem*
Me inſinuare,lubens operam ſpondebò cuivis:
Ianitor eſſe queo; vel quicquid obire jubebor:
Et mihi Niſa *favens, noſtram non ſpernit opellam.*
Hinc temulenta cohors,menſis tamen ante remotis,
Munere dum venas meliore caleſcat Iacchi;
Et ruit ad chóreas,excíta meliſmate cantûs
Saltidici,*tandemq; ſonum pertæſa tenellum,*
Nos quoq; depromtâ carmen meditemur avenâ,
Quale canit Mopſus,*diſperdit quale* Menalcas:
Nam quoſdam varii juvat alternatio *cantûs.*

Fauſtus *Nil ſtolidi ſuades: prius experiamur oportet,*
Alphe,

Alphe, quid agreſti calamo, quid poßit uterq;,
Dum radijs gelidas paulùm Sol mitigat auras:
Hac in valle parum mecum diſcumbe, ſalicto
Huîc vitulum ſubnecte, meosq; ligabo gemellos.
Ordiar ergo prior, *tu deînde ſequére canendo.*

Incipe reſpondens veterem ſufflabo cicutam. Alphus

Res bona Conjugium: *cuî ſe Lychnander amore* Fauſtus
Denuò conſécrat; thalami priùs indice doctus,
Quid ſit Amor *quid* Hymen: *quod ſi mala forte (fuiſſet,*
Non ſe conjugio pellectus amore dicaret.

Res bona Conjugium: *cuî Niſa medullitùs ar-* Alphus
Denuò ſe dedit: thalami prius indice docta, (dens
Quid ſit Amor, *quid* Hymen: *quod ſi mala forte*
Non ſe conjugio noviter ſubmitteret ardens. (fuiſſet,

Lychnander *bonus, & bona* Niſa *bono* ordine Fauſtus
gaudent
Numinis auſpicio dextris conjungere dextras:
Alter in alterius teſtem cor corde *relinquit:*
Quiſquis adeſt faveat, nova ſigna favoris & edat:
Gaudet Hamadryadū chorꝰ omnis & undiq; plaudit,
Oreadum plaudit chorus omnis & undiq; gaudet.

En bona Niſa, *bonus* Lychnander *in ordine bel-*
Impulſu Triados jungunt dextramq; fidemq;; (lo,
Sic & in alterius cor corde *relinquitur* obſes.
Quiſquis adeſt faveat, ſua votaq; prodigus addat:
Vota cient roſeo virides in flore Napaæ,
Naiadesq; ferunt lætos per flumina plauſûs.

Integer incedit formâ Lychnander *& ore,*
Integer & famâ poſt fata ſuperſtite, fulget:
Spirat Acidalios toto jam corpore rores:

Sic lucent oculi, nigricante cicindula nocte
Ceu rutilat; nec habet, quod Momus *carpere poſſit.*

Alphus *Integra ceu formâ, ſic Nominis integra laude*
Niſa *movet greſſûs, famamq́ perenniter auget:*
Stillat Acidalios toto jam corpore ſuccos;
Scintillant oculi, veluti lampyrides alis
Splendidulis noctú: nec habes quod, Zoile, *carpas.*

Fauſtus *Vitis ut arboribus, gaudent ut rupibus hedræ:*
Sic quoq; Lychnander Niſæ *peramabilis ulnis.*

Alphus *Irriguum veluti ſitiunt ſata, prataq́ rorem;*
Sic quoq; Niſa *ſitit ſocij pia gaudia lecti.*

Fauſtus Nox *ſocios videat, ſocios* lux *candida cernat*
Unanimes, *vivis prolongent ſtamina Parcæ.*

Alphus *Incolumes vigeant, caſtosq́ tuantur amores,*
Et viridis nitidos vitæ ſectentur honores.

Fauſtus Sufficit: *at tædas ſi fert occaſio, plura*
Cantemus, meliusq́ fluet poſt pocula *carmen.*
Antè cavam quàm linquamus modulamine vallem,
Dic mihi núm plures lepores, vulpesvé *tegantur*
Hoc nemus inter? eris mihi ſic dulciſſimus Orpheus.

Alphus *Dic mihi, dicq́ prior: ſed* fiſtula *rumpitur, eheu!*
Hanc dum concinnem; vitulum mihi, Fauſte, *reſolvas.*
Surge, tene, vitulum; comites properemus in Urbem,
Ne mora damna ferat: radios Sol *undiq; fundit:*
Pergite, lanigeri ſoboles gregis, ite gemelli.

Stephani Sibenlisti Hilperh. Franci

FARRAGO ELEGIARVM Schediaſmatum.

MEDITATIO
De Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti.

H*Uc animo, hûc oculis, hûc mente paratus adeſto;*
Quiſquis de Chriſti *nomine nomen habes.*
Hêc tibi ſunt Chriſti *volvendi corde dolores,*
Quos pro mole *tui criminis ipſe tulit.*
Cur ſit ſupplicüs inſons *pro ſonte, requiris,*
Afflictus? noſtræ cauſſa ſalutis *erat.*
Munera cur igitur flocci nos pendimus illa,
Quæ pius in nobis ſanguine *parta locat?*
Hoc patiente; Feræ patiuntur Terra, Polusq́;
Nec, pro quo patitur, compatiatur Homo?
Durior es ſaxo, ſi non te ſcommata, flagra,
Quæ patitur pro te vulnera totq́; movent.
At tibi ſi qua tuæ mecùm jam cura ſalutis,
Illius obſerva vulnera, tela, necem.
Tu me, Chriſte, *juva pro me perpeſſe dolores;*
Viſcera fac tantos *cordis ad ima feram.*
Hora propinquabat poſtquam, committere tergo
Hoc onus: *en! trepidant territa corda metu.*
Anxia cura, gravis tremor & pavor oſſa ſubibat,
De cute ſanguineus ſudor ut unda fluit.

Hic

Hic ope privatum ſimul & ſolamine linquunt
Te famuli; *feſſos quos ſopor altus habet.*
Cum peteres hominum ſolatia; nullus amicâ
Voce tibi curas,qui minuiſſet,erat.
Et qui debebat fidum ſolamen amicus,
Hoſtibus en! oſclo te notat ille tuis.
Te mox arripiunt,fera quos agitabat Erinnys,
Immerito manicas injiciuntq́ tibi.
Dentibus infrendens,fera Factio,*vultibus almis*
Infringit colaphos,& maledicta vomit.
Te deteſtantur liciti ſine juris honore:
Per falſos teſtes,te revocantq́ Deum.
Non pudor eſt,ſed honor; tibi qui convicia dicat,
In roſei vultûs expuat atq́ genas.
Velatam faciem *cumulantes verbere crebro;*
Hoc, VATES, quærunt, quis facit? ecce! *quis* (*hoc?*
Plura quis audiſſet præſens ludibria: rictu
Turba catervatim,quæ male-ſana tonat.
Turpibus hinc verbis ſuperaddunt verbera dura:
Quod libet,omne licet cuiq́ patrare nefas.
Ex lacrimis riſum quò captent,terga flagellis
Percutiunt adeò,manet ut inde cruor.
Hinc humeros miſerè multâ vibice rigentes
Purpureâ tunicâ plebs *inimica premit.*
Poſtmodò pro digno, capiti, DIADEMATE, Regum
Rex, impreſſa tuo ſpinea ſerta geras.
Nec modus *accedit: donatur arundine DEXTRA:*
Quâ tua ceu Sceptro ſplendeat alma manus.

Poplite

Poplite te flexo crudelis turba ſalutans,
REX Iudaeorum maxime, dicit: AVE.
Heu tè quot probris lacerant mordacibus! ora
Sputo fœda rigent, verbere mala crepat.
Nec ſatis eſt: ægro tormenta cruenta parantes,
Imponunt humeris grandia *ligna* CRVCIS.
Quæ trepidans illuſorum comitante catervâ,
Cogeris ad mortis *pondera ferre locum.*
Ad loca perventum poſtquam; fera Turba *trementeis*
Perterebrat palmas, perterebratq́; pedes.
Figeris hîc, paſſis manibus pro crimine noſtro,
Vt places Patrem, victima ſancta, Cruci.
Exaltatus ibi rigidi de ſtipitis arâ,
Ah ſitio, ſitio: voce gemente vocas.
Dimovet heu nullus tremulo deliquia corde:
Te nemo recreat nectare, nemo mero.
Mentis inops & lucis egens vix voce, vel aure
Reddas aut capias deſtituente, ſonos.
Nec datur ærumnis finis; licet anxius horror
Te jam Lethææ gurgite mergat aquæ.
Membra vigor linquit; mors imminet; attamen hæc
Turba *laceſſendi non poſuére modum.* *(te*
Iam capis à populo ſannas adſtante ſuperbas:
A populoq́; pares prætereunte capis.
Rex *Iudæorum, clamant: Deſcende* ſupernè!
Heus deſcende, tibi ſubveniensq́; veni.
Inſuper ante tuos oculos vix luce fruentes,
Sorte, tuas veſtes, diſtribuente ſecant.

Spiritus intereà vitalis membra relinquit,
Inq; auras tenues vita negata fugit.
Aſt animam volucres vivam ſine pondere mentes
In gremium Patris, *qui regit aſtra, ferunt.*
Miles ut obſervat defunctum ſtipite *corpus:*
Exanimum properè perforat enſe latus.
Inde CRVOR *manat, precioſus & inde* SALVTIS
Fons *oritur, noſtrum qui ſcelus omne lavat.*
Sic ſatis ut factum, reprobi pro crimine mundi:
En tellus CHRISTI *corpus aperta capit.*
Nunc quanto Chriſtus *nos ſit complexus amore,*
Quiſq; tui cordis volve revolve ſinu.
Nos propter veritus tantos ſufferre dolores
Non eſt, nec veritus mortis inire viam.
Nos propter maledicta tulit ludibria vulgi,
Verbera, nos propter, vulnera, flagra, necem:
Scilicet amiſſæ Nobis *ut dona* SALVTIS
Redderet, apperiens limina clauſa Poli.
Ah HOMO, *quæſo genis ſiccis, quis mente dolorum*
Siccâ, tàm varias tranſeat ergo vices?
Qui mare, qui terram, qui cœli continet orbes,
Pro me vermiculo, Vermis *adinſtar erat.*
Quos igitur paſſus propter Nos CHRISTE *dolores;*
Fac cognoſcamus, mente dolente, tuos.
Fac tua Nos etiam miſeros *miſeratio,* MORTIS
Participesq; tuæ, tangat in arce POLI.

In obi-

In obitum

ELIÆ FRIDERICI VOLCENANDI J. U. D. Dicaſt. Ordinariĳ & Conſil. Saxo-Coburgiaci celeberrimi.

QVis largas prohibet lacrimas? lacrimabile verbum
Quis prohibet? quando cauſſa doloris adeſt!
Tegula *non fragilis recidit de culmine tecti:*
Grandine nec tugurI tacta feneſtra *petit.*
MAGNIFICÆ ſed terna DOMVS cecidiſſe columna
Cernitur: ah! nunc & quarta Columna *ruit.*
Quæ DOMVS hæc? quæris: Themidos *venerabilis*
In qua IVSTITIÆ candor amic° habet.(ARX eſt;
Quæris, forte Domûs *quænam cecidêre* columnæ?
ASTRÆÆ manibus culta quadriga virûm.
Nempe VVESENBECIVS, TRVMMERVS, DINC-
Quorũ Fama *mori, poſt pia fata, neqt (CELIVSq́;*
His tribus haud adeò pridem de culmine lapſis:
VOLCNANDVS ſequitur mortis ademtus acu.
VOLCNANDVS, gremio Muſarum natus & altus:
Æqua cui PALLAS Dædala corda dedit.
Cuî tribuit linguæ Peitho facunda nitorem:
Cuî pectus ſapiens intemerata Themis.
Munĳt ignaros animos Conſtantia *flecti:*
Candorem Charitum *ſubdidit alma cohors.*
Non virtute, minus cuîdam pietate ſecundus
Pectora divino ſublita rore tulit.
Purâ purus adhuc in Religione *nocivas*
Horruit Euripi mente cavente vices.

Hinc Scabinatûs *Cathedræ Præfectus, ad unguem,*
Penſavit rerum pondera, judicij.
Adq́; miniſtravit ſic jura fideliter; æqui
Vt cynoſura probat, ceu Deus ipſe jubet.
MAIOR & invidiâ lites ſine fraude *dirémit,*
Ejus ut efferret pars quoq; victa Fidem.
Sed tantillus *ego ſtreperis quid vocibus hiſco,*
In TANTI laudum conditione VIRI?
Neſcit in anguſtâ ſubmiſſi carminis umbrâ
AMBITVS AVGVSTI Nominis inſerier.
Hinc labra me preſſante: Decus *fulgebit honosq́;*
VOLCNANDI, donec fulget ab axe jubar.
TANTVS & ingenio VOLCNANDVS, TANTVS & arte:
TANTVS erat niſu, Nomine TANTVS erat.
At mortalis erat: Quod CORPVS ſanguine caſſum,
Maturum nimiter denotat ante diem,
Ante diem, noſtris anſam quoq; præbet ocellis,
Vt cieant triſteis nil niſi lacrimulas.
Tamnè COR excultum debent laniare colúbri?
Tàm rarum & carum devoret hydra caput?
Cervus *in immenſos, vitam proterminat, annos:*
Longaq́; deſpretus ſecula CORVVS habet.
Cur Homini paret tam curta licentia VITÆ,
Quando Creaturis præeat unus HOMO?
Cur non VOLCNANDVS multis præſtantior VNVS,
Præ multis vitæ ſecla ſuperſtes agat?
Aſt hîc judicium, pendetq́; potentia nobis:
Eſt Deus; ad cujus quodq́; fit ARBITRIVM.

Ille

Ille dat, & recipit: VOLCNANDVM vivere noſtrum
Qui voluit: noſtrum jam voluitq́ mori.
Hoccè mori vitæ præſtat: per limina mortis
Tranſiit: æthereo geſtit & axe frui.
Quod tibi decurſum, VOLCNANDE; vel impare (greſſu
Nos ſtadium, *ſimilem currimus atq́ VIAM.*
Quamq́ tenes; metam *nos adproperamus eandem:*
SALVVS in æternum, qui bene currit, erit.

Super obitu

MARIÆ

VOLCMARI SCHERERI J. C. Et CANCELLARI Saxo-Coburg. eminentiſſimi &c.

Uxoris deſideratiſſimæ.

QValiter anxifero ploratu Vinitor *uvas*
Acri decuſſas frigore, manè gemat:
Qualiter abruptâ ſtratas frugesq́ procellâ
Adſpiciat madido ruſtica turba ſolo:
Taliter obfuſi lacrimis, Vir magne, *videmus*
CONIVGIS exemtæ membra locata taphis.
Vel mage! nam reddit fruges, uvasq́ quotannis
Terra: ſed Vxorem terra maligna negat.
Quos ſemel ingluvie demiſit in ilia ventris,
Hos ſinit ad noſtras nulla *redire plagas.*
Hinc dolor accreſcit, nullâ quod lege, potiri
Amiſſâ poterit Conjuge priva DOMVS.
Heu dolor! & ſi quid ſatagit ſuperare dolorem!
Virtutis quantum ceſſit ab orbe DECVS?

Ceſſit & haud umquam Conjux reditura, Penates
Affatu repetet ſuaviſonante, tuos.
Tecta proin jaceat ſemper? Non. *deprimo linguam:*
Frugum more, novâ luce reſurget humo.
Surget, ab æterno floreſcens germine, cœli
Geſtiet ambroſiâ conditione frui.
Siſte proin lacrimas, Vir magne, *queamus ut ipſi*
Cordiflui pariter ſiſtere fontis aquas.
Nos ſumus hîc miſeri: miſeri *maneamus: at ILLA*
Nos in cœleſti ſede BEATA manet.

In obitum
JOHANNIS CHRISTOPHORI ab
Heſperck, Pueri nobiliſs.

Q*Uæris hic unde* lacûs *lacrimarûm profluat? & cur*
Imbre ſubacta gemat Bockſtadiana Domus?
Percipe: Spem præter correptus ab impete mortis,
Occidit eximiâ nobilitate PUER.
Occidit ætatis ſub flore juvenculus almo:
Ceu Roſa ſub verno tempore tacta cadit.
Occidit heu ſubito Soboles Heſpergica! dulce
Delicium Matris, deliciumq́ Patris.
Heu quis in hoc caſu, lacrimas prohibere parentum
Auſit? quis lacrimas non cumulet lacrimis?
Præcipit hoc pietas, jubet hoc ſacra pagina, ſint ut
Gaudia cum lætis, cumq́ dolente dolor.
Sed modus in rebus præſtat velut omnibus: iſthoc
Præſtet & in luctu ſic tenuiſſe modum.

Cur

Cur doleamus enim nimiter, nimiterq́ gemamus,
Quando quis è noſtris morte peremtus obit?
Cum tamen in vitâ vitæ *ſit finis; ut* OMNES
Seriùs aut citiùs mortis in antra ruant.
Nonnè quis ante pedes ſi fortè pericula cernit,
Horret: & hinc gaudet ſi ſuperata videt.
Sic nobis Lethi vis imminet omnibus: Ergo
Felix qui paſſus, quæ patienda, fuit.
Felix, æternis qui momentanea mutat:
Felix, pro vanis cœlica quiq́ capit.
Quis IAN-CHRISTOPHORVM *felicem terq́ quaterq́*
Iam neget, à mundo qui pius aſtra ſubit?
ILLE *malis caſſus, ſummo ſtatuente* IEHOVAH,
Angelicos inter vivit ovatq́ CHOROS.
Ille ſuum CHRISTVM *jam fert, & fertur ab ipſo:*
Ipſius ut divi Nominis *omen habet:*
Inq́ Scholâ ſuperâ jam jam verſatur alumnus:
Ac ibi jam Chriſti dogma docentis amat.
Funere pro mœſto fruitur jam perpete vitâ,
Pro tenebris lucem perpetuamq́ videt.
Iam piceâ pro nocte diem ſine fine perennem:
Triſti pro luctu gaudia ſumma capit.
Eſt procul exilio: patriam *jam poſſidet almam,*
Præ terræ fœdis ſordibus, omne decus.
Nunc ipſi gravium magnâ cum prole laborum
Parta quies, nec non ſervit amica SALVS.
Iam cum cœlicolis, omnis diſcriminis expers
Nectar & Ambroſiam guſtat in axe Poli.

Ergo tuas, Mater, Pater, *ac* Ave, *ſiſte querelas:*
Siſte tuas lacrimas Bockſtadiana Domus.
Nam IAN-CHRISTOPHORVS, proles tua, vectus
Vivit, & æternùm vivere lætus avet. *(ad aſtra*

In obitum
MARGARETHÆ à RETWITZ,
relictæ viduæ
PHILIPPI AB HESPERGA,
Equitis Fr.

O Rdior occentum lacrimoſo condere verſu:
Lingua ſed obtruncat victa dolore ſonum.
Expiravit enim generoſa VIRAGO: Virago,
Cuî ſibi vix ſimilem Francidos ora videt.
Quæ viduata Viro *priùs; hæc viduatur* ocellis
Vitæ, *per triſtis furta nociva Necis.*
O mihi ſi cérebri quid adhûc, Polyhymnia, *vires*
Suggere, de lacrimis triſteq́; necte metrum.
Ite piæ Matres, propè quas vicinia nutrit,
Ite perungentes funera lacrimulis.
Occidit exemplum frugi venerabile Matris:
Fœminei cecidit culta magiſtra chori.
Ite viri, luctumq́; pijs mactate querelis,
Poſtremùm dantes manibus exequias.
Adgeme non fictis ululatibus, indiga turba:
Turba, cui Mater per benefacta fuit.
Induvijs exuta jacet, quæ veſtijt artûs
Sæpe tuos, plenas pane deditq́; manus.
Quin quicumq; geris ſi non pro pectore fungum,
Cum ſuſpiratu fletibus ungue taphum.

Sed

Sed quos flamma minus tangit, minus urit: & hoc eſt:
Quod dolet ille minus, quem minus aſpra premunt.
Tu flammæ, Soboles, *genuina propinquius adſtas,*
O Heſpergiacæ *biga venuſta DOMVS!*
Hinc magis ex ignis propriore calore gemiſcens,
Jan-Caſimire doles! Jan-Ludovice doles!
Ecquid enim vivæ, vivâ genetrice, propagi
Carius in terris eſſe quit? Herclè nihil.
Ecquid enim vivæ, raptâ genitrice, propagi
Triſtius in terris eſſe quit? Herclè nihil.
Ite proin Soboles, Matrisq; adſpergite fletu
Funera, quod Matris promeruit PIETAS.
Vos Retvvitziadum *Matres lugete, viriq;:*
Stirpis enim veſtræ fulgida ſtella ruit.
Vos Heſpergiadum *Matres lugete, viriq;:*
Namq; auctrix veſtri ſtemmatis oppetiit.
Ite ſimul, lugete ſimul: ſed & inter eundum,
Lugendumq;, citæ volvite Mortis iter:
Volvite Mortis iter: MORS omnibus imperat VNA:
Divitis ac Humilis pulſitat æqua *fores.*
Stat ſua cuiq; DIES: ultra quam Triga Sororum
Vnguem tranſverſum cedere nulla ſinit.
Quodq; hodie *Matrona necis vim paſſa ſupremam:*
Cras *eadem veniat perpetienda tibi.*
Hæc pietatis erat FLOS, exemplumq; pudoris,
In ſolo figens ſpemq; fidemq; DEO.
Noluit hæc alii, poſt primi fata mariti,
Turturis in morem nubere forte viro.

C 5 *Hinc*

Hinc melioris amans, hanc vitam temſit inanem:
Crimina quâ gliſcunt, ſe glomeratq; MALVM.
O felix! quicumq; poteſt ſic ſpernere vitam,
Et deſiderio cordis amare POLVM.
Intuitu IOVÆ fruitur nunc, atq; beati
Agminis, Empyreis aſſociata plagis.
Ponite quapropter lacrimis diſcrimina: nec non
Dicite: Sit ſanctis manibus alma quies.

Ad

JOHANNEM ADAMUM

TRUMMERERUM J.U.D.

Super obitu Fratris ejus

JOHANNIS HEINRICI J.U.Cand:

Siennæ in Italiâ beatiſſimè

defuncti.

T*RIGA velut Charitum nexu concorditer extat:*
Sic nuper Fratrum Trummeriana *TRIAS.*
Trummeriana TRIAS, TrifolI velut herba, virebat;
Virtutiq; domum conſtituebat humi.
Cujus in hoſpitio Charites, Themis *atq;* Camœnæ
Optabant ſtabili conſenuiſſe pede.
Vidit & invidit Lacheſis lacrimabilis illud,
Et binis folijs vim truculenta tulit:
Haud ſecus ut quondam Cucumis *formoſus IONÆ*
Marcuit arroſus verme, citoq; perIt.
Sic Mors, IAN-ADAME, tuam corrodere ſtirpem,
Annos ante breves, dentibus auſa fuit.
Cujus opes animi dotesq; prehendere verſu,
Non mea crena valet, nec mea vena poteſt.

Quæ

Quæ ſpecies triplici, foliûm ſit demta decóri,
Tu Fraterq; tuus ſenſit: & inde gemis.
Nec ſat: tergemino roſiſſe à ſtemmate partem,
Sævit & in reliquas mors furibunda duas.
Non hîc in patriâ, non in confinibus arvis,
Indagat ſaltem Fratris iniqua gradus.
Aſt animo, quò disjungat, ceu corpore; fratrem
Quærit in Auſoniis irrequieta plagis:
Quærit, & offendit Paphiæ *non inter Alumnos:*
Inter at Aſtrææ *come* ſodalitium.
Hîc, dum IVSTITIÆ perſugeret ore medullam,
Exſucta à triſti morte medulla fuit.
Aridus hinc cecidit, ceu Flos, *quem Syrius uſſit:*
Et ſtirpem folio flebilis imminuit.
Imminuit terram: ſed cœlum manibus auxit:
O Cœlum terrâ tutius Hoſpitium!
Illius exuvias præclara SIENNA tuetur
In tumbis: donec cœlitùs aura redit.
Quæ tibi mens, Trummeriade, *qui percipis aure,*
A dextrâ & lævâ frater ut oppetiit?
An non cor trepidat, coquitur ferventis & inſtar
Vndæ, dum SOLVS liqueris, antè triplex:
Quiq; ſuperſtes ades TrifolI de germine SOLVS:
SOLVS an extendas, hac ratione tribum?
Vix reor: At vivo ſolamina dicere præſtat;
Quàm defunctorum ſuaviter oſſa cubent.
In paradiſiacis *jam frater uterq; viretis*
Floret, & hunc florem nullibi marcor habet.

Proin obi-

Proin obitûs abitum fer leni pectore fratrum,
Tertia dum TrifolI pars numerere polo.
Intereà vitæ hîc fratrum quod defuit; illud
In te compenſet ſoſpite IOVA: Vale.

Super Funere
FRIDERICI RITTERI,
Præfecti Eisfeldiaci:
Ad
Defuncti Filium, ejuſdem Nominis.

D*E vitanè tui magis an de morte* Parentis
Inſtituam querulos, mi Friderice,*modos?*
Vita per humanam viguit ſat ſplendida ſortem:
Sed non abſq; fuit lubricitate mali.
A teneris etenim fuit Aulæ *deditus, in quâ*
Diverſas ſubijt, non ſine laude, vices.
Dives eum ſanè decoravit copia cornu:
Cumq; labore BONIS mens ſatiata fuit.
Sors tamen in gyro ſatis illum ſæva rotavit,
Plusq; aloës quàm vel mellis in ora dedit.
Adſerit hoc Spartæ *varijs objecta periclis*
Functio: quâ functus luſtra per octo fuit:
At diverſimodâ: quid? quot ſuſpiria preſſit
E cordis latebris CRVX toleranda Domûs.
Tres *ſibi conjunxit: ſed tres disjunxit amicas*
Legitimi SOCIAS, Parca *ſevera, tori.*
Virgo quarta,*fide lateri deſponſa, ferétrum*
Occupat antè, latus quàm ſociata premit.
Quinta *potita toro; ſed tantùm ſeſqui-per-annos,*
Compare, turtur uti, jam ſpoliata, gemit.

Debilitavit

Debilitavit adhûc cérebri cordiſq́ lacertos,
Ante diem ſoboles falce peremta necis.
Hi ſunt inſultus, hæc ſunt fera ſpicula Lethi:
Quæ ſi non perimunt ſingula: juncta necant.
Hinc annoſa velut, non uno quercus ab ictu
Concidit; at multâ vi ſuperata, ruit.
Sic Pater *in vitâ ter ſex trieteridas implens,*
Tandem fulmineo Mortis ab enſe cadit.
Vna DEO *rediјt melior pars, Spiritus: eheu!*
Altera jam matri reſtituatur humo.
Hinc, Friderice, *gemis planctû lacrimabilis, hinc &*
Cum ſeptemgeminâ Prole, Noverca *dolet.*
Quis gemitûs Aviæ *non perſentiſcit anileis?*
Cui ſeniј baculus rumpitur è manibus.
Obq́ Patris fatum noſter DVX ingemit: immò
Civica noſtra cohors ſigna doloris habet.
Et mea Muſa *ciet ſuſpiria quando favoris*
Spes in defuncto Patre, ſepulta jacet.
Sed nil noſtra juvat manes querimonia: ſervant
Immotum, ſtatuit quem benè IOVA, locum.
Ergo ne nimiâ, FRIDERICE, cor excoque curâ,
Quod tuus è mundo ceſſit ad aſtra Pater.
Sic fuit in fatis: Fatum nos obruit omnes:
Omnibus eſt etiam mox ſubeunda dies.
Pone modum lacrimis: ſint hæc lenimina luctûs;
Per mortem Patri quod reparata QVIES.
RITTER *enim Chriſtianus erat: ſatis inde beatus:*
Militiam FIDEI ſi bonus obtinuit.

Quod

Quod reſtat, ſectarē Patris *veſtigia; poßis*
Vt ſervire Deo, Terrigenûmq́; choro.
Sic bene vive, vige; Patriſq́; rependē FAVOREM
Vſq́; mihi: ſic & ſecula longa VALE.

In obitum præmaturum
MARIÆ MAGDALENÆ
M. Michaëlis Seldij; Uxoris
deſideratiſs.

O Ccidit eximiæ ſubitò pietatis Amatrix
Fœmina, cui ſimilis fœmina rara fuit.
Optima nunc, MELIOR, canentis Epiſcope vitæ
Occidit heu! fulcrum Gnata MARIA, tuæ.
Occidit heu! SELDI, tua dilectißima Conjunx;
Pars animæ, quæ vel dimidiata fuit.
Occidit occiduum nato tibi, IANE GEORGI,
Mater, & eheu vix quæ tua Mater erat!
Matronale decus, præclara virago *ſub umbras*
Commutans vitam morte repentè fugit.
Heu Pater! *ô* Conjunx! *ah* Jane tenelle Georgi!
In lacrimas quiſnam? vos quis abire vetet?
Non ego: ſed lacrimis potius ſubfuſus obortis,
Leſſum triſtiſonum quemq́; parare velim.
Pagina ſacra licet nimijs adverſa querelis
Sit: tamen heu lugent Virq́; Paterq́; Senex.
Mater & inſiſtens querulis ſingultibus infit;
Sic mea Gnata fugis? Spes mea ſicnè fugis?
Fata dolens Infans *Matris quoq́; vagit ademtæ,*
Et gemitûs gemitu concitat uſq́; Patri.

Civica

Civica præterea lugubribus obſita pannis
Matrum turba, gravis ſigna doloris habet.
Siccine flere decet? decet: at pietatis ad uſum:
Gens inimica Deo flet, ſine lege, ſuos.
Propterea paulum cohibete gravamina luctûs:
Eſt quoq; quod memores commonuiſſe juvat.
Novimus, ignotus finis, cujuslibet ortûs
Quod ſit, & emorier ſtet ſua cuiq; dies.
Pendet ab interitu Natalis, & irruit in Nos
Falciferâ ſubitò mors inopina manu.
Sed quibus elongent Parcæ fatalia nentes
Stamina, fila cito forfice rupta ſecant.
Scilicet haud ulli vitæ caveatur in horam
Certa fides, credas quæ diuturna, ruunt.
Namq; hominum ſimilis vitæ lex floribus extat:
Vna dies naſci quos videt, una mori.
Auſit & haud quiſquam ſibi ſic promittere voto:
Cras *quoque,* cras *vitæ ſerviat orta dies.*
Terminus eſt, ad quem nos tendimus unum,
Sive prius ſeu ſit longius; una via eſt.
Huc animoſa cohors juvenum feſtinat; avari
Adproperant tremulis paſſibus hucq; SENES.
Iam ſoror anticipat fratrem, fraterq; ſororem,
Servus herum, ſervum ſerva, virago virum.
Sic regit humanos divina potentia caſûs:
Nos latet expertos cauſſa, ſciente Deo.
Scire proindè ſatis morier ſit; quando negarunt
Fata diem, certæ mortis inire viam:

Cumq;

Cumq́ꝫ mori certum: cur indulgetis adusqꝫ
Lugentes querulis Virq́; Paterq́; *modis?*
Triſte quidem nobis viventibus eſſe videtur
Vxorem ſubitò ſuccubuiſſe neci.
Sit licet: intereà tamen expectamus eundem,
Cotidie vitæ ſpeq́ꝫ fideq́ꝫ modum.
Expectamus uti DEVS hoc ex carcere mundi
Nos trahat ad rutili lucida regna Poli.
Hîc dolor, anxietas, tenebræ, cruciatus abundant:
Illîc perpetuò Luxqꝫ ſalusq́ꝫ vigent.
Ergo ſenex venerande Pater; reverende Magiſter,
Mittite lugubreis mente gemente ſonos.
Vxor enim dilecta tibi MADALENA MARIA
Vivit & æternùm vivere læta cupit.
Vivat: at hîc vivas tu Iane tenelle Georgi,
Vt Patri præſens Matris IMAGO, precor.
Vive Patri Soboles, *Soboli* Pater; *Optime nec non*
O Ave *vive: ſimul quæſo VALETE boni.*

Super funere
CONRADI FEVSTLINGI
Præfecti Sonnefeldenſis.

Mollis ut in fibris exaruit undiqꝫ ſuccus,
Feuſtlingoq́ꝫ negat Solis Hygeîa jubar.
Tunc memor ille Dei ſatagit concedere fatis,
Et vada Cocyti mente ſuperſtes adit.
Illicò præſentem manus arripit atra Charontis,
Per Stygium volucri lintre vehitq́ꝫ lacum.
Nec non ſiſtit eum citus ante tribunal; atrocis
In quo judicij tetrica Triga ſedet.

Cuî viſo

Cui viſo Rhadamantus ait; tribuuntur in aulâ hac
Digna brabeîa bonis,digna brabeîa malis.
Sed tu pro meritis,FEVSTLINGI,juris & æqui
Arbiter, Elyſiis conſociéris agris.
Infit ad hac Mi-nos : *hic ordine quartus,anhelæ*
Nobiſcum turbæ jura ſacrata ferat.
Æacus *hinc; majora bonis ſtant præmia cœlo:*
Aſtrica quin potius regna ſubintret ovans?
Præmia dum variјs variat ſententia votis,
Cœlitùs irrumpens fors Ganymedes *ait:*
Me Duce,Feuſtlingi,repetas cœleſte theatrum,
Floret ubi æterno germine ſancta QVIES:
Non habet in te,quod Nemeſis Rhamnuſia plectat,
Nec tua ſcit Pietas hîc reperire locum.
I procul hinc,propera ſuperis ſociande catervis,
Ac ibi perpetuâ luce potire Poli.

In obitum

ANDREÆ MERGILETI, P.L. & Paſtoris Mylfeldenſis.

A*Rida vix oculis fletûs veſtigia linquit;*
Flendi materies ecce novella datur.
In lacrimas i,perge novas mea Pieris; & fac
Pallida te longi ſyrmatis umbra tegat.
MERGILLETVS, Honos Phœbi, Iovæq; Sacerdos,
Muſis cura,decus vatibus,oppetiјt.
Oppetiјt; vitâ durante,medullitus arſi,
Et quem defunctum Patris *adinſtar amo.*
Phœbe,Pater Vatum,vos Vates,vosq; Camænæ,
Fundite vel tanto carmina digna viro.

D *Fundite*

Fundite lacrimulis commixta melidria largis;
Qualia deplorans Daulias ales Ityn.
Et meritò: quid enim Virtus non demeret ejus,
In vatum numero qui Coryphæus erat?
Cujus in arte pium vidit geniumq́; fidemq́;
Ille Palatini magnus Apollo Nicri.
Vidit & attribuens terſis bona præmia Muſis,
Illius impoſuit laurea ſerta comis.
Hinc ea quæ finxit, pinxitq́; Poëſeos orſu,
Mentibus angelicis digna fuere legi.
Digna legi reſtant divina poëmata, reſtant
Enthea contractis diſticha verſa modis.
Cætera quid referam virtutibus æmula facta,
Facta, quibus Famæ nobilitavit opus.
Nam virtute prius nil, nil antiquius illi
Uſq; fuit: Virtus ſola per aſtra meat.
Quantus erat, ſincerus erat; pietate favorem
Hinc hominum meruit, demeruitq́; DEI.
Simplicitatis amans, Candoris amicus, Honeſti
Cultor, & auriflua Pacis Alumnus erat.
Quin in relligione putus purusq́; docebat,
Id, quod in æde ſacrâ, fecit & ipſe domi.
Nam minus aut doceas, doceas aut moribus; *inquit*
Oeſtro cæleſti percitus ille PATER.
Integra ſic laudis victuræ puncta meretur,
Si Myſtes, alios quod monet, ipſe facit.
Qualis erat, thyrſo pietatis taliter acta
Duxit & eduxit pignora chara thori.

Pignora

Pignora bina probant animat quæ maſcula Virtus,
Patris ad exemplum Scriptaq́ ſacra docent.
*Fœmineæq́ probat naturæ,*trina *propages:*
Binæ conjunctæ, tertia caſta viris.
Scilicet in ſobolem tranſit genuina Parentum
VIRTVS: & Patrum ſemina quiſque refert.
Quid multis? vixit MERGLETVS, ut aurea legis
Regula divinæ vivere quemq́ jubet.
Corpore ſed feſſum, tardumq́ ſenilibus annis
Improba nunc acri Mors ſitelíce ſidit.
Ah dixi quoties, animâ fraudare quid inſtas
Tàm dignum vitâ, Parca ſevera, virum?
Secula Peleidæ dignus qui viveret; ejus
Heu nunc in buſtis rodit Echidna caput!
Si mihi, ſi citharam biſton concederet Orpheus
Quâ quondam Euridicen *traxit ab amne Stygis.*
Aut ars Medéæ *mihi ſi conceſſa fuiſſet;*
Æſonis *abſterſit, quâ mediante, ſitûs.*
Hercle novo vacuas repleſſem ſanguine vires
MERGLETI, reſlens huîc juvenile decus.
Sed reprimo linguam: licet optem: non tamen optas
Hûc, MERGLETE, tuum vel retuliſſe pedem
Iſſe per immundi mundi contagia: nunc &
Te ſcandiſſe Poli tecta beata juvat.
Hîc, ubi cœlitibus geſtis comes ire per hortos
Elyſios, Superûm lætitiáq́ frui.
Immarceſſibili florens ubi tempora Myrto,
Tergemino poteris Numinis intuitu.

Intereà Cœli, MERGLETE, potitus honore,
In cœlo lætus nosq́; tuosq́; mane.
Sufficit exequijs; hæc nænia ſufficit: hinc tu
Æternùm SALVE, perpetuumq́; VALE.

In obitum
CONRADI DUMPELII,
Paſtoris Hilperhuſani.

NOn tibi, DVMPELI, fungenti munere terra,
Nec mea defuncto Muſa deeſſe poteſt.
Tempora MORLINI, capienti munia, vovi:
Irrita nunc, eheu! vota fuiſſe liquet.
Nam menſes totidem ſoſpes ſuperare nequiſti:
Ille quot in ſpartâ luſtra peregit ovans.
Diſpare ſucceſſu vix muneris annuus *Hæres*
Extiteris, gelidâ jam tumulatus humo.
Eſſe quid hoc dicam? pietatis *an illa brabeîa,*
Ante diem, ſævæ ſuccubuiſſe neci?
Ah mecum lugeto virum, mea Patria; mecum
Luge defunctum plebs philomuſa virum!
Hic omnis Virtutis erat Patronus, & OSOR
Criminis; inprimis OSOR Avaritiæ.
Norat enim labis cujuslibet illa quod eſſet
Radix; unde mali ſeminis herba mala eſt.
Quæſiit in nullâ ſibimet re turpe lucellum:
Sed ſtipe contentus vixit ab emeritâ.
Hinc nec opum gazas, ſpatioſa nec arva, nec hortos
Comparat, aut (multis mos velut ille) domos.
Verùm quicquid erat, quicquid fuit æris & auri,
Omne peraugendis deſtinat ille libris.

Proîn non

Proin non dives agris, hortis, domibusve caducis
Eſſe; ſed innumeri Codicis eſſe cupit.
Quod liquidò LIBRI, precioſa volumina; mille
Vix aureîs *emti(res manifeſta)probat.*
Quos, ut non ederet pulvis tineæq́, parabat:
Ipſe ſed ut manibus volveret aſſiduis.
Nam non barba *Sophum, monachum nec* Bardocu-
Plurima nec doctum Bibliotheca facit. (cullus,
Hinc, aliis loculos rutilo ſupplentibus auro;
Gaudia Dümpelio pagina ſacra dabat.
Hinc, aliis hortos viſentibus, atq́, vireta:
Dümpelium ſuperi forma ſubibat agri.
Hinc, aliis poſiti reditûs repetentibus æris
Fœnore; Dümpelius fœnus ab arte tulit.
O lucra vana ſoli! vanus qui fidit in illis!
Hem lucra quæ ditant, ſolus olympus *habet.*
Addo quod & populo vitæ melioris amuſſim
Eſt re ſectatus ſtrenuus, ore datam.
Te quater ergo, vel eſt quot non numerare, beatum:
Ludicra qui ſpernens legeris AXIS opes.
Lectis nunc opibus frueris, quas præbet olympus;
Ac frueris dio Numinis intuitu.
Hic ut quiſque ſerit, metet illîc: *ſemina ſic &*
Iam tua, Dümpeli, meſſis OPIMA beat.

In obitum
JOHANNIS BÖTZINGERI
Paſtoris Muppergenſis, Amici mei,
Patris inſtar amati.

HEu Muppergiades *Muſæ circumdate vultûs*
Peplis, & reſonæ ſiſtite plectra lyræ.
Si volupe eſt cantare; ciete melidria; condit
Qualia, dum deflet Daulias ales Ityn.
BOTZINGERUS enim veſtri defenſor honoris,
Corporis abjecit, morte peremtus, ONUS.
Luſtra bis octo ferè vidit, menſusq; caducæ
Curriculum vitæ, fata maligna tulit.
Bis decies, noviesq; *propagine IOVA beavit,*
Et decies novies deſpoliavit EUM.
Conjugis optatæ licito bis jure potitus;
Conjugis alterutro jure bis orbus erat.
Sueto Prima *modo, ſed fulmine tacta perivit*
Altera: *quis morſus non putet eſſe graves?*
Sic diverſimodè Soboles migravit in umbras:
Gnatus *ut ille probat, quem nive ſolvit* Hyems.
Heu quot Sparta novem *per luſtra, pericla creavit?*
Quotq; gubernandæ res tulit aſpra Domûs?
Leniter aſt animo patiente gravamina ſortis
Illa novercantis, non ſine laude, tulit.
Sic Auditorum, magnum IOVÆq; favorem
Conciliavit ovans in pietate ſibi.
Speq; fideq; potens tandem expiravit, & acri
Mnemoſynæ, famæ liquit in orbe decus.

Liquit

Liquit in orbe decus famæ, corpusq́ sub urnam
Occulit: aſt animæ tranſit ad aſtra vigor.
Iam Muppergiades *Muſæ date carmina ſanctis*
Manibus, & tumulo lilia miſta roſis.

In obitum
BARBARÆ
GEORGII Eiſenſchmiedts Præfecti
Officinæ Argentariæ Eisfeld.
UXORIS.

VTrum ſit, ſubito morier, decumbere lecto
Sive diu, melius, diſſerit arte Sophus.
Addo, diu fragilis perfungi munere VITÆ,
Quod tortura *ſiet, pagina ſacra docet.*
Non aliundè petas exempla: ſed aſpice præſens:
BARBARA cui teſtis prob lacrimoſa venit!
Cur lacrimoſa? minus quia Barbara: *Namq́ colebat*
Vt bene-culta DEVM, ſic bene-culta VIRVM.
Hæc pietatis amans, virtutis & æmula, prolis
Sedula, Formatrix gnara domûsq́ fuit.
Hinc obitum lacrimis ſubitum perfuſus inundat
VIR: Domus heu luget! pignora triſte gemunt.
Annè perintegrent opus hoc? Non. Mitte querelas
Ergo Vir: VXOREM non obiiſſe putes.
Hanc abiiſſe vides, ad olympica regna Polorum:
Abſq́ dolore vigent Lux ubi, Vita, Salus.
Nunc iter abſolvit, Patriæ regione potita;
Quam ſibi poſſeſſam Chriſtias omnis amat.
O iter hoc felix! ſubiens felicior: aſt ex
Aſſe ſit hic felix qui bene tranſit iter.

In obitum EVULÆ Eiſenſchmiedin puellulæ.

Quando juventuti vernanti vita negatur;
Quid ſperet trepido curva ſenecta pede?
Cernis ut emoritur cum non-diſcrimine quivis
Vivens: jam flaccens, jam ROSA verna perit.
Quid tandem? jam Mater avet ſuperare repentâ
Morte ſatam, Matrem Gnata perindè cupit.
BARBARA nuper enim, Mater non barbara, vitæ
Ceſſit: jam Soboles ceſſit & EVA ſimul.
Quis tibi nunc animus, Pater ô! *qui cernis ademtam*
Matrem, defunctam qui Sobolemq́; vides?
Cur Deus (inquis enim) duxiſti memet in oras,
Conjuge ubi carâ proleq́; privus agam?
Nulla fides vitæ; vitæ dubitabilis uſus:
Nam ſubito caſu, quæ placuére, ruunt.
Cara tibi quamvis Conjux, & Filia quamvis
Sit defuncta: tamen ſcis, ſtatuente Deo.
Quod Deus inſtituit juſtus; reprehendere nemo
Auſit, & ex placido quod facit, ille facit.
Vivit adhuc Proles tibi duplex; maſcula proles:
Matris imago precor, vivat imago Patris.
Pone proin lacrimas, ſatis & ſit, candide Fautor,
Tecum fortè DEVM dimidiaſſe BONVM.

Proſopopœia
ISAACI EISENSCHMIDI
lectiſs. Pueri
Ad
Mœſtiſſimum PATREM,
G. E.

SI PATER imperium FATI perpendis amuſſim,
Non me ſublatum præcoce morte gemes.
Quiſquis enim terræ ſupereſt, obnoxius extat
Morti; nec tutam continet hora fidem.
Ergo PATER, lucis dum vix prognatus in auras;
Aptus eram Mortis vi minitante mori.
Nunc ego mutavi fragilem cum perpete vitâ,
Et magis optatâ conditione fruor.
Vos apud, in vitâ mihi blæſa loquela dabatur,
Integritas claræ nunc mihi vocis adeſt.
Iam cum Matre meâ, jam cumq́; ſororibus alti
Lætitia cœli perfruor angelicâ:
Inq́; Scholâ ſuperâ jam verſor alumnulus, *atq;*
Fundo cum ſanctis ſanctulus ipſe preces.
Nectare & ambroſiâ veſcor, diſcriminis expers,
Pax æterna, quies meq́; ſuperna juvat.
Siſte ergo lacrimas, Pater *optime, ſiſte querelas:*
Vivo, nec eſt vitæ pauſa futura meæ.
Tu cum Fratre meo vivas ſuper orbe quietus,
Donec ad hæc venias gaudia læta Poli.

In obitum
BARBARÆ GEORGII SELDII N.P. UXORIS.

TV quoq;, Seldiade,*crucis in trepidante palæſtrâ*
Exercére, vides imperiumq́; necis!
Nempe vides, ſentisq́; tuo de pectore partem
Dum rapit illa tibi, cordoliumq́; facit.
Pars animi, carnisq́; tuæ pars altera, Conjux
BARBARA, falce necis ſcilicet icta jacet.
Inde doles, meritoq; doles, quod privus amico
Corculo agas noctes, ſolus agasq́; dies.
Heu tibi condoleo! lacrimis quoq; funera macto;
Vxoris Pietas quas meruitq́; fides.
Corpore parva *quidem: ſed ſi generoſa tuéris*
Munera Virtutum, MAGNA profectò fuit.
Illa videbatur multis Vxorcula: multis
Sed victrix animi dotibus, VXOR erat.
Et quod corpuſclum negitavit, mente rependit:
Mentis enim præſtat corpore dignus HONOR.
Inprimis veræ caluit pietatis ab æſtu:
Vincere quâ mundum, quâ potuitq; necem.
Obſequioſa DEO fuit, obſequioſa marito:
Hinc ſat in orbe, ſat & laudis in axe tenet.
Et licet ante diem ſit ademta tuumet ocellis,
Coſta ſub & tumbis occubet ante diem:
Quid refert? animum, non annos ſpectat IOVAH:
Sat quoq; longa, ſatis ſi bona vita *fuit.*
Nunc exemta malis ſtupidi deliria mundi
Deſpicit, Empyreis annumerata plagis.

Hic,

Hîc,ubi præmiſſâ gaudet cum prole *per ævum,*
Cœlicolum geſtit colloquioq́; frui.
Illîc TE, ME, NOS, *ſaliente cupidine cordis,*
Dum veniamus eò, crede, BEATA manet.

In obitum
MARGARETHÆ
JOHANNIS MONACHI
Senatoris Eisfeldenſis
UXORIS.

NOn ceu raſa cohors Monachûm, Monache, *ex-* *(petis olim,*
In thalamo ſolus, ſolus *& eſſe domi.*
Sed quæſiviſti devotiùs, auſpice IOVAH,
Quæ comes inq́; domo, quæ foret inq́; toro.
Ac inveniſti; non quod puer in nuce caſſâ:
Margarin *arſiſti, Margaris ergo data eſt.*
Res bene ſucceſſit: velut unio nobilis, uni
Vna cor in vitâ fovit & auxit ope.
Hæc faciens pulcrâ novies *te prole parentem*
Margaris, officij gnava ſubivit opus.
Ah quantum! ah quoties! ultrò benefecit Egenũ,
A ſe nec vacuas ſivit abire manûs!
Quicquid habet laudis PIETAS, pietate ſategit
Gnava merere domi, gnava merére foris.
Atropos *olfaciens invidit id, arctaq́; vitæ*
Stamina diſſecuit ſanguifluente manu.
Et ſic perdideris ter amatam Margarin: *& ſic*
Margaris in tumbis vermibus eſca jacet.
Hinc gemitis, fremitusq́; Pater Sobolesq́; ruinam
Quod tantam fuerit paſſa repentè Domus.

Iam

Iam privus carâ ſentis prendisq́ Maritâ,
In viduâ quid ſit proh! habitare domo.
Iam privus fidâ ſentis prendisq́ Maritâ,
In viduo quid ſit volvere membra toro.
Tunc intelligimus BONA propria deniq́: noſtræ
Quando poteſtatis deſeruére fidem.
Ergo quis in luctu tibi conſolabile verbum
Suggerat, & lacrimas tergat ab ore tuas?
Arripe divini divina volumina LIBRI:
Ac ibi Thariadæ *facta legenda, vide.*
Viſa legens imitare: SARÆ KETVRA replevit
Partes: Hic cardo vertitur: Ergo VALE.

In obitum

OTTILIÆ,

Quæ Uxor erat SIGISMUNDI
SchrammI Paſtoris Steltſavi-
enſis.

C*ARNEA fibra mihi flagrat, non CORNEA,* Schrammi:
Qui lacrimas lacrimis collacrimando ciam.
VXOR amica tori, vitæ comes EXPIRAVIT:
Humanum. Res hæc cŏrde ferenda venit.
Aſt tibi quod geminum vice NEX inflixerit unâ
Vulnus, id in cordis mordicùs arce dolet.
Mater enim cum Prole, ſimul cum Matreq́ Proles
Efflarunt animas corpore juncta ſuas.
Nempe priùs Mater; *Matremq́ ſecuta* propagẽs:
Vnum ſic CORPVS funera bina dedit.

Si foret

Si foret integrum COR, frangeret herculè funus
Hoc geminum; læſum ſed cor adusq; geris.
Nec mirum: deciès *etenim concepta fefellit*
Spes *te: dùm decies fœta vel VXOR erat.*
Hinc decies prolem paritura ſubivit ABORTVM,
In parteſq; tuum COR tot anhela fidit.
Vnde tuum COR ergò decemplice vulnere læſum
Sanes? unde petas pharmaca? quæris: habe.
CODICIS in ſacri vigil expatiare virétum,
Hic tibi cum varijs floribus HERBA datur.
Primitùs occurret PATIENTIA, nobilis herba:
SPES aderit melior, nixa Deoq; FIDES.
Quarum, cum Pietate, ſalubribus utere ſuccis,
Vulneribuſq; tuis influe; SANVS eris.
Deniq; ſi fugiente dolore repentè valeſcis;
Hoccè meum ſoſpes ſuſcipe conſilium.
Elige, conſulto IOVAH, quæ conferat omne,
Quicqd habetq; FOCVS; qcqd habetq; COCVS.

In obitum præmaturum

URSULÆ SELDIN,

Quæ naſcitur ad 22. Sept. An. 1607. & moriens introducitur hâc ad mœſtiſſimos ſuos Parentes CONSOLATIONE.

NE lacrimare Pater, lacrimari deſine Mater:
Quid nimis emulget lumina veſtra dolor?
Vos ego rellinquens contingo BEATVLA cœlum:
Eſt potior, veſtrâ conditione, mea.
Filia blanda fui, dilecta fuiq;, PARENTES
Vos apud, in terrâ vivere dum licuit.

Vos

Vos riſûs, viſûsq́ mei, luſûsq́ jociq́,
Dememiniſſe decet, dememiniſſe juvat.
Amplius anxietas non me tangitvè, premitve,
Circumagit veſtros qualis in orbe Lares.
Viva per æthereas ales induta phalangas
Convehor, intùtu tuta fruorq́ DEI.
Infans antè, loquor, pangoq́ canoq́ IEHOVÆ
Iam cum cœlicolis dulce choreuma, meo.
Hîc loca juſtitiam reſonant, redolentq́ ſalutem:
Lætitiam juvenes, adglomerantq́ ſenes.
Inſidias igitur nocuo diſponite luctuî:
Et potius celſi limen avéte Poli.
Enthea Leucotheæ *facies nunc inſtat; ubi* ME
Vobis *adjunget: Vos mihi SANCTA TRIAS.*

In obitum repentinum
MAXÆMILIANI FABRI;
Paſtoris Bethemenſis, ejuſdem Nominis,
FILII.

PRÆFICA *non lacrimas, MAXÆMILIANE, ſubornet,*
Qui tua fata gemant, reſtat AMICA cohors.
Ac ego SINCEROS haud ultimus inter amicos,
Voce tibi mœſtâ fundo doloris EPOS.
Et meritò: quid enim ſub corde reciprocus ardor
Non meruit; quo nos ſat caluiſſe liquet.
Vnde TVI memores dùm vox diverberat aures,
Extinctum rabie te nivis atq; gelu.
Queîs furor Hyppotadæ *ſucceſſerat acriter, eheu!*
Dixi; vita Hominum quàm levis atq; brevis.

Nilq́

Nilq; niſi mortalis Hyems *eſt vita: meamus*
Ex quâ ad perpetui VERIS alacre decus.
Namq; ROSAM, ceu quam cernit Matuta vigentem:
Hunc flacceſcentem veſpera ſæpè videt.
Vna eademq; vocat LEX ad vadimonia Mortis
Omnes: Hic citiùs, ſerius ille venit.
Quod citò præmiter, Maxæmiliane, vocatus
Sentis luctificæ ſquallida ad antra necis.
Heu tua, cordolium quantum, quantasq; querelas,
Nobis atq; tuis mors inopina facit!
Vox gemitu fremituq; ſonat reſonatq; Parentum
O FILI, FILI! quàm citò raptus obis!
Non Lethum, lethi ſpecies *nos commovet: ô ſi,*
Illa domi tantùm fata ſubire datum!
Hoc captate boni Nepentheos ergo Parentes;
Non quod obit, vitam qui bene degit homo.
Non quâ morte venit; ſed qualis venerit ad ſe,
Iudicium ſummi ponderat acre DEI.
Caſtigate proin gemitûs: benè vixit: obivit
Hinc benè: Vivamus Nos memoresq; NECIS.

In mortem repentinam
KUNIGUNDÆ
Johannis Bötzingeri Paſtoris Mupperg:
UXORIS.
Fulminis ictu ex hac vitâ ſublatæ:

INcertâ certæ *Mortis nil* certius *horâ,*
Imminet humanô ſemine cuiq; ſato.
Hora latet, mors certa patet, via tritior extat:
Sed via vadenti pervia mille modis.

Nam

Nam Pars enſe *cadit, cadit* igne, *caditq́ cruentâ*
Peſte; *prout fatum quemq́ perire velit.*
Nonnè probas novies ter, *quem & bis prole beavit,*
BOTZINGERE, piâ, ſummus in axe DEUS?
Nonné probas novies bis carâ prole, ſemelq́
Quem quoq́ privavit juſtus in axe DEUS?
Sed, PATER, an ſemper morientis lumina prolis
Clauſiſti propriâ ſic in agóne manu?
Heu non! præ reliquis meminiſti namq́ perire
RURI conſtrictum nocte, geluq́ fatum.
Sic diverſa migrant diverſo hinc pignora caſu
Cum quibus & CONIUX morte ſoluta migrat.
Conjugis à fato primæ datur altera Conjux,
Per mala, per vitæ mille pericla comes.
Hac cinctus varios potuiſti Conjuge caſûs,
Forti, ſed patrio pectore perpetier.
Hac fultus SENIUM potuiſti ferre quietum:
Hac, tibi curâ, minus cura dolorq́ fuit.
Hac monitrice Domus ſequitur Pietatis *habenas:*
Hac Domus officijs ſtat bene nixa ſuis.
Sed quùm cara minus, CARIS diuturnius hærent,
Cara tibi ſubitis caſibus UXOR obit.
Heu (dolor hinc lacrimæq́ tibi) diſcedit: eundi
Excedit ſed vi fulminis icta modum!
Eheu! Pars animi, pars altera ſcinditur abs te:
Pars dilecta tibi, parsq́ dolenda tibi.
Sed minus illa dolenda: ſacrum modò reſpice LI-
Nemo cadit temerè, qui in ſtatione cadit. (BRUM:

Nam

Nam cadit, officium faciens cariſſima CONIVX;
Sedula dum licitas itq́ reditq́ vias.
Fer pius VXORIS quapropter fata perempta:
Fata dolore licet plena: beata tamen.
Mille modis etenim via pervia MORTIS: iniquus
Nec modus impediat dulce SALVTIS opus.
Illa fuit Pietatis amans: memor illa Salutis
In Chriſto fixit ſpemq́, fidemq́ ſuam.
Hîc tibi Nepenthes *miſce: pius inde ſequetur*
Triſtitiæ Finis; finis & in lacrimis.
Vxor enim vivit cœleſtibus addita turmis,
Et cum præmiſſâ vivere prole cupit.
Tu quoq́ vive ſatur vitæ, memor atq́ futuræ,
Mortalis vitæ relliqua vince: VALE.

Nuptijs ſecundis
VOLCMARI SCHERERI, JCti,
Cancellarij SaxoCoburgiaci celeberrimi;
Ut &
MARIÆ Freundin/
Virginis florentiſſimæ.

REgnat in humanis divina potentia REBVS:
Iam datur, ex licito jam rapiturq́ datum.
Senſibus heu noſtris inveſtigabile FATVM!
Iuſta fuére DEI, juſtaq́ facta manent.
Hoc, SCHERERE, probas, Vir Iuris & Arbiter æqui,
Mente vel expertâ ſortis utramq́ vicem.
Nam vivente tuâ, faciles VXORE penates,
Nil niſi ſpirabant nare SALVTIS opes.

Sed ſtatuente DEO, Cauri ſub flatibus, VXOR
Dum redit ad ſuperas, unde profecta, domos:
Fit gemitus, triſtesq; Lares ululatibus horrent:
O Matrem *ſoboles, tu MARIAMq; vocas!*
Audijt hæc lamenta Poli de ſede IEHOVAH:
Audijt & tandem te miſeratus, ait:
Quid cerebrum lacrimis juvat emulgere profuſis?
Fide mihi: reddam quam priùs eripui.
Eripui lateri MARIAM, lateriq; MARIAM
Reſtituam; quæ ſit CORDIS AMICA tui.
Nomine præſentet, præſentet req; MARIAM:
Arguat effectûs nulla querela meos!
Dixit, & in puncto rigidi vis deſinit EVRI:
Inq; tuo VERIS jam tepet aura ſinu.
Vere tepet tellus: arbos quoq; vere vireſcit:
Vere niteſcit ager, vere caleſcit AMOR.
Omnia nunc rident: quid CANCELLARIVS ergò
Funera defunctæ Conjugis *uſq; gemat?*
Hinc Charites læto gaudentes veris honore
Taliter audivi verba referre modis:
Eja SOROR, dilecta Soror, dilecta MARIA:
Eja puellari de grege lecta veni:
Numinis auſpicio jam jam ſocianda virago
Digna VIRO, caſti limen amoris ini.
Talis *inis, qualis fuerat, quæ prima ſubivit:*
Cujus NOMEN habes, cujus & OMEN habes.
Nam te non Pietas, non relligioſa Voluntas
Deficit, haud morum deficit integritas.

Aurum

Aurum gemma velut: ſic te pudor ornat; & intras
Os rubra, cervicem candida, flava comas.
Illa fuit Neptis: tu Cancellaria PROLES:
Sic juſto penſat cuncta valore Deus.
Dum videt ex voto ſibi fata benigna SCHERERUS,
Dixit; amanda mei Cordis AMICA venis.
Quam benè: Devotus VOBIS in amore ligatis,
Hoc igitur votum *mente favente fero:*
Degite tranquillam ſub amico fœdere vitam:
Nec veſtram turbet ſollicitudo Domum.
Degite felicem ſub honeſto fœdere vitam:
Nec minùs ingenuâ prole beate torum.
Degite longævam firmo ſub fœdere vitam:
Et ſine nube cadat quælibet orta DIES.

Nuptijs ſecundis
WOLFGANGI CHRISTOPHORI
à Schaumbergâ, Equitis Franci:
Nobiliſſimæq; Virginis
DOROTHEÆ à Streitbergk.

DUm VVOLF-CHRISTOPHORUS Schaumbergi ſanguinis Hæres,
Conjugis à fato triſtis in arce ſedet;
Ingemit & revocat ter-amatæ Conjugis auram,
Hiſcé movens animo damna perampla Domûs.
Ah perit abſq; bonâ Rectrice domeſtica RES, &
Deformat morum pignora noſtra chaos!
Me quoq; ſollicitæ cepit jam nauſea vitæ,
Altera dum vitæ pars tumulata perit.

E 2 *Audijt*

Audijt ut gemitûs Pietas,*nec paſſa querelas*
Longius effundi, geſtit adire virum.
Intrans virgineam ſpeciem referebat, amicta
Veſte latus niveâ, frunde virente comas.
Cætera veſtis erat rutilis pellucida gemmis,
Nec minus auratis vermiculata notis.
Omnia Virgini erat ſimilis, faciemq́ ſonumq́,
Et roſeos vultûs, lacteolasq́ manûs.
Facta ſed acceſſu graviore propinquior illi,
Suavibus alloquijs taliter orſa ſonat:
Quid VIR triſte gemis? quid perdis amabile vitæ
Tempus, & in viduâ ſtasq́ cubasq́ domo?
An ſic perpetuo laxabis frena dolori?
Reſpicis haud caſti pignora plura tori?
Id cinerem, manesq́ putas curare peremtæ
Conjugis, ut ſemper pectore mœſtus agas?
Cernis ut hac ratione Domûs, ſobolisq́, tuiq́
Debita non geritur cura, geriq́ nequit.
Non ſatis officio facit ullibi turba miniſtrans:
Nec tibi nec ſoboli ſic bene conſulitur.
Quin igitur renovas thalamum, ſponſamq́ novellam
Ire ſub amplexûs, lege jubente, jubes?
Nam Deus haud prohibet tædas reparare ſecundas,
Quod ſatis exemplis pagina ſacra probat.
Sic quoq́ Thariades *SARÆ poſt funera, caſtam*
Duxit CETVRAM, ductus amore novo.
Et veluti medio jactatus in æquore Nauta,
Si repetit portum gaudia lætus agit:

Sic tibi poſt vidui diſpendia triſtia lecti,
Lætitiam facili carpere fronte, licet.
Delige proinde novam, delectam dilige Nympham;
Quæ ſit pars vitæ, ſitq́ columna domûs.
Num dubitanter adhùc, quæ ſit te digna, moraris?
Cui virtus, cui ſtirps, fronsq́ ſit apta tibi?
En STREITBERGIADVM de ſtemmate VIRGO,
Quæ mihi præ reliquis te fore digna viro! (videtur
Neſcio quid dextri præſagit Nominis omen:
DOROTHEES etenim Nomen alacre gerit.
Hanc Pater, hanc DITERICVS ovans virtutibus, atq;
Pectore magnanimus progenerando dedit.
Hac in reſplendet mens Patris & æqua voluntas
Præ ſe virtutum fertq́, probatq́ decus.
Illa mei (PIETATIS) amans, auditq́ futura
Tàm ſtudioſa viri, quàm ſtudioſa DEI.
Flexanimis etiam Judithen *moribus æquat:*
Moribus & nitidæ frontis adhæret honos.
Bella labella movet, mellitaq́ verba profatur,
Collaq́ ſunt ipſi candidiora nive.
Tàm morata manet te Sponſa: *potentibus antè*
Sæpè petita viris, ſæpè negata viris.
En tibi proſpexit Deus hanc è millibus! Ambi
Hanc; exambibis: non mora tardet OPVS!
Dixerat hæc PIETAS facie ſpectanda Puellæ:
Dixit, & in nihilum verſa, repentè fugit.
Hinc gemitu pulſo, ſurgit Vir nobilis; *intùs*
Atq; novum calidi vulnus amoris alit.

Virginis hinc virtus animo, multusq́ recurſat
Gentis honos, renuens corde quiete frui.
Omnia Dorothees *reſonant dulcedine: noctes*
Dorotheen *referunt*, Dorotheenq́; *dies.*
Non mora, nec requies: Eos abit unus & alter,
Ille ſibi quoſdam jungit honore pares.
Diſcedunt junctìm Sponſam *pro more petitum:*
Dum veniunt, orant: Sponſa petita datur.
Extulit os ſacrum lux hæc à cardine cœli:
Quâ ſubeunt ſocium Sponſus uterq́ torum.
Dicamus bona verba: *datur jam dextera dextræ:*
Quiſquis ades linguâ Fœmina Virq́ fave.
Reddamus pia verba DEO, *reddamus honores:*
Et precibus IOVÆ ſollicitemus OPEM.
CHRISTE veni, Sponſisq́ tuum largire favorem,
Suaviter ut ſpirent cuncta SALVTIS opes.
Sed vos conjugij ſociali fœdere juncti,
Vivite multiplices prole beante TORVM.

Nuptijs
JOHANNIS GERHARDI
SS. Theol. Doctoris, & Superintendentis Heltburgenſis:
Et
BARBARÆ NEUMAIERIN
Virginis Vinarienſis,
NEOGAMICORVM.

SI devoviſſem poſthac non ſcribere verſum,
Hæc me perjurum redderet una dies:

Vna

Vna dies,in quâ convictus amore GERHARDVS,
Auſpice,jura tibi poſcit aditq́;, DEO.
Ecquis in hoc, VOTVM *votis non adderet,actu,*
Vt DEVS *bis auſis vela ſecunda daret ?*
Si Famam *reputo, quâ claret ubiq́;* GERHARDVS,
Fama boni voti plurima puncta meret:
Siq́; Fidem *ſpecto, præſtans Hominesq́; Deumq́;*
Quâ vincit: ſatagit vota merére FIDES.
Si quis in ipſius Pietatem *figit ocellos:*
Mæonide Pietas *carmina plura meret.*
Si quis Doctrinam: *Doctrina profunda* GERHAR-
Ad pia vota citat caſtra Novenſilium. (DI
Inſuper ornat eum miranda Modeſtia *morum;*
Quæ devota ſibi verba,precesq́; meret.
Quid mage? Candor *adhuc, Avis exul in orbe, Ger-*
Adſerit; hincq́; ſibi candida vota meret. (*hardum*
FAMA, FIDES, PIETAS, DOCTRINA, MODE-
STIA, CANDOR,
*Ni mereant votum ſingula,*juncta merent.
Ceu decet ergò, meum VOTIS *commiſceo votum,*
Vt nova Conjugij proſperet orſa Deus.
Fauſtus ini thalamum cum VIRGINE, *Cordis amicâ:*
Quam Pietas celebrat,quam celebratq́; FIDES.
Quam notat ingenui genuina rubrica pudoris:
Hac cum ſoſpes ini feſta marita TORI.
Quam reverenter amas,quæ te reverenter & ardet,
Immenſos tecum degat amore dies.
Vos in amore pari ſummi BENEDICTIO *Iovæ*
Soſpitet uſque domi, ſoſpitet uſque foris.

Aurea pax animos conſtringat ovantibus alis:
Adplaudat Charitum triga venuſta, precor.
Nectaris ætherei deſtillet largior imber
In caput, in veſtros, ſorte favente, ſinûs.
Copia fertilibus paraſangis vosq́; ſecundet:
Mitis & indemneis ſervet Hygeîa *lares.*
Et tandem decimo reparet cum Cynthia cornu,
Sit qui vel Matrem vel ferat ore Patrem.
Sic bene conjuncti ter-centum vivite meſſes,
Votaq́; ſucceſſu proſperiore fluant.

In ſolemnitatem Nuptiarum
FRIDERICI RITTERI
Præfecti Eisfeldiaci:
Et
ANNÆ MULDNERIN
Virginis Coburg.

N*On ego (nec refricare decet) refricabo dolorem,*
Cui callum obduxit longius acta dies.
Nec mihi de tigno funeſti Carminis anſam
Occinit in querulum Bubo ſiniſter EPOS.
Sed Paphiæ *riſus, Paphiæ ſobolesq́;* Cupido
Me ſub amore melos nectare dulce jubent.
Non quod amat Glyceræ, *ſpurius nec* Thaidos *ignis:*
Lesbia *nec quod amas, tuvé* Corinna *probas.*
Sed quod caſtus amor, Charitumq́; corallinus ardor,
Quod FRIDERICE *probas, Nympha quod Anna probas.*
ANNA puellarum decus, Anna parentib⁹ orta
Claris, ingenij dotibus ANNA potens.

ANNA

ANNA venuſta, pudicitiæ virtute modeſta,
Moribus admiſcens cum pietate Fidem.
Triſtibus illa tuo cordi tot caſibus acto
Iuge refrigerium cœlitùs ANNA venit.
Nempe tuo lateri toties compage ſoluto
Coſtarum, ſtabilis COSTa novella venit.
Hem lacrimas abſterge! domum præpande foresq́,
Intret ut ex facili tramite Nympha torum.
Cum quâ tergeminis ſtipata ſororibus intret
Sancta Fides, conſtans Gratia, mitis Amor.
Hinc precor ut placidâ virtutum lintre receptos
Arctet vos dio glutine Trina MONAS.
Nec non in ſerâ multos ætate nepotes
Cernere det: tandem det ſimul axe frui.

DIALOGISMVS
Juvenis & Vidui:
Nuptijs
GEORGII EISENSCHMIDII, Præfecti officinæ liquefact. Eisfeld. ſolertiſſimi, &
ANNÆ LEIBIN.
Virginis Schmalcald.
SACER.

TE*q́; trahit ratio diverſa,* Vir optime, *Nympham* Juvenis.
Qui trahis in vidui vincla novata tori?
Res ſat inepta mihi, ſatis & præpoſtera res eſt,
Si viduo *nubit VIRGO tenella* viro.
Cur viduus viduam renuiſti ducere? gaudet
Mollis enim parili ſemper amore VENVS.

Commoda ſi viduæ, ſi commoda Virginis æquas
Librando; Viduæ commoda lance feres.

Viduus. Diverſos diverſa juvant: *Me ducere movit*
Virginis & Virtus, Virginis atq; DECVS.
Si lubet exponas viduarum encomia: laudes
Sed mihi virgineas commemorare lubet.

Juvenis. *Perlubet: inprimis virtutes reſpice, quas vel*
Expolit in Viduis continuata dies.
O quantum Pietas *muliebris creſcit in arctis*
Rebus, & hinc quantâ ſidera mole ferit!
Vidi cum premeret SORS acris limina: vidi
Conjugis & precibus limina tuta domûs.
Moribus hæc placidis didicit mulcere maritum,
Muneris & blandâ tædia voce levat.
Et licet attigerit formam provectior ætas:
Aucta tamen virtus mentis in arce viget.
Ex ætate proin venit experientia major,
Singula quæ ductu dexteritatis agit.
Non adſtat foribus, nec apertis pigra feneſtris:
Sed vicina colo mollia penſa trahit.
Non placitura Procis venientibus ora perungit:
Sed geſtit ſoli ſola *placére viro.*
Dilapidat numquam dotem, ceu Nympha ſuperba:
Sed doctâ partas arte tuétur opes.
Auget opes potius; famulis non ſegnior ipſis,
Vltima dum ſcandit, prima toroq; redit.
Dulciter ad guſtum ſcit fercla parare mariti,
Immiſcere datis aptaq; verba cibis.

Adde,

Adde, quod in viduis *fidę i conſtantia major*
Sed latet in Nymphis, *cum levitate dolus.*
Virgo *licet ſuperet viduam quandoq; figurâ*
Dos tamen in viduis cætera major erit.
Immò fuit multis nocumento Forma *puellis,*
Illa quod oppugnet ſæpe pudicitiam.
Talia cur igitùr Viduarum commoda ſpernens
Molliculæ Nymphæ teq; fidemq; dicas?
Te quoq; te juvenem, *velut audio, diſſonus error* Viduus.
Detinet: helleboro *nùm tibi forſan opus?*
Quid Viduas juvenis celebras, temnisq; puellas?
Æſtati præfers & boreale gelu?
Deſtitui Nymphas virtutibus annè profaris?
Vernat in his VIRTUS, ceu ROSA floret agris.
Vidi, cui Pietatis amor ſine fraude precanti,
Nomen in orbe dedit, Nomen in axe dedit.
Et vidi viduam, nimiùm quæ dedita curis,
Anno vix unas commemoraſſe preces.
Eſt & avarities Viduis innata, nec umquam
Spectant, impendi quid ſibi poſcat honos:
Forma nec in Nymphis tenero nocet uſque pudori:
Sunt quas commendat forma, juvatq; pudor.
Reſpice Suſannam *formæ ſplendore venuſtam:*
Non tamen hanc potuit vincere biga Senum.
Reſpice Penelopen *celebratam frontis honore:*
Non tamen hanc potuit vincere turba procûm.
Gratior eſt Virgo gemmis, eſt carior auro;
Integra quam decorant Forma, Juventa, Pudor.

Hinc

Hinc illibatum *præſtat deçerpere* florem:
Suavior intactis gratia rebus ineſt.
Dulcius eſt pleno vinis in vaſe potiri,
Quàm de turbatâ fece, liquore frui.
Quid multis? CERÆ pia virgo ſimillima; mores
Dirigit ad placitum, mente ſequente, viri.
Sentiet haud itidem vetulam *qui duxerit: uſu*
Firmior, antiquum concinet illa melos.
Juvenis. *Laus maneat viduis, maneat laus digna Puellis:*
Inpingam haud viduis virginibusvè dicam.
Dotibus eximijs qui nactus es ergò PVELLAM,
Mitia fata tibi, Vir celebrande, precor.
Et precor ut voſmet longo ſub tempore vivos
Mulceat unus amor, mulceat una fides.
Soſpitet & thalamum DEVS auctum pignore: quon-
Ludat ut ad veſtros blandula turba pedes. (dam

Nuptijs ſecundis
M. MICHAELIS SELDII,
Archidiaconi Eisfeldiæ, &
SUSANNÆ PETSCHIN:
Virginis Eisfeld.

V*Sque chely creperâ,* naulon *velut* inſtitor, *o-*
Sic operam perdam, ſic oleumq́; licet: (mnem
Meq́; licet ſtringat livor ſecretiùs ore,
Propter inexcultæ murmura rauca lyræ:
Me tamen illa movent minùs! ad ſolemnia tædæ
Feſta tuæ, SELDI, Muſa ſilere nequit.
Dum lacrimas vidi, lacrimarum fonte rigabat:
Iam tua lætatum gaudia meq́; juvant.

Iam

Iam Cytheræa *redit, redit ecce* Cupido *tenellus,*
Et Charites redeunt, dum nova Nupta *redit.*
Nec tibi fortuitò redit Hæc: proſpexit ab axe
IOVA tibi, caſtus quem tibi ſanxit AMOR.
Hanc tibi prætereà gens civica legit amico
Ore prius, legit quàm tuus ipſus amor.
Vota placent Superis: Quid ni Suſanna *placenter*
Fauſta tuum ſubeat, per pia vota, torum?
Vt frugi SVSANNA fuit, quam biga ſenectæ
Subdola tentavit: ſic tua ſemper erit.
Reſpice virtutes, clarum nomenq́; Parentum:
Hinc Sobolis dotes experiére pares.
Reſpice cumprimis Pietatis acumen in illâ:
Vincere nilquicquam qua radiante timet.
Candorem facies, candorem corporis artus,
Conſona candorem pectoris aura refert.
Quâ domus egregiè, quâ res ſtabilitur; & illa
Æmula formicæ *ſedulitate cluit.*
Hiſce tribus quidnám repetas in Conjuge *majus?*
Rariùs invenies hæc in amore TRIA.
Hæc tibi dum veniunt lectâ cum Virgine junctìm
Grator ut æternùm convenienter eant.
Ergo tuis mea vota, meis tua jungere præſtat,
Soſpitet ut dio cæpta favore Deus.
Alma SALVS animos & pectora veſtra gubernet,
Neu vos, neu morbi vis rabioſa premat.
Sorte bonâ, *ſic ſorte* malâ, *vos inter inhærens*
Vna fides, *unum* cor, *ſit & unus* amor.

Sole Polus, ſic prole torus ſplendeſcat, ut olim
Sint tibi, qui patrium Nomen *in orbe gerant.*
Sic bene vive tuâ cum Nuptâ, *Neſtoris ævum:*
Ac abeant faciles & ſine nube DIES.

Nuptijs
M. JOHANNIS GLEICHMANI,
Paſtoris Crocavienſis, &
URSULÆ GREUCHAUFIN
Virginis Eisfeld.

ILiadis vovi numeros implere Camœnis:
Iam, GLEICHMANE, tibi vix epigramma lito.
Me fors, Chareten, *qui lactet inanis amicos,*
Dices? Noli: arctum vota rependat Epos.
Legiſti Sophiæ ſuaſu tibi cordis ALVMNAM,
Iungere quàm lateri cor *avet atq; calet.*
Quàm bene: Ponè ſequor, Chriſto duce, *& auſpice*
Et mihi delegi quam ſociandus amo. *(voto,*
Quiſq; ſuam meritò: Sed quâ tua Virgo coruſcat
Laude, tibi breviter noſtra Thaleïa *refert.*
Eſt prognata pijs tua Nympha parentibus: Ergò
Ingenitis morum dotibus aucta placet.
Hinc cum lacte bibit Pietatis ſemina: *ſucco*
Cujus adhuc ſacro permadefacta ſapit.
Forma pudicitiæ conjuncta renidet in ore
Illius, inq; animo flamma, fidesq; nitent.
Nec venit in thalamum tibi Codri *filia: qualem*
Nunc odiſſe ſolet provida turba *procûm.*
Sat formoſa venit, ſat dives, clara ſat ortu;
Dum pia, dum Sponſo Sponſa pudica venit.

Deſidioſa

Deſidioſa minus nugis malè decipit horas:
Penſatur magnâ ſedulitate labor.
Linea verſatu aut ducit ſtamina fuſis:
Pallados aut artes ſedula pingit acu.
Ite maritandi ſacras properanter ad ædes;
Ite duas mentes jungat ut unus AMOR.
Hanc proſpexit enim ſummus tibi IOVA puellam
Cœlitùs,ut thalami fida miniſtra foret.
Vos igitur junctos divino glutine; voto
Proſequar, ut fauſto tramite cedat amor.
Sit cynoſura domûs PIETAS, cynoſuraq́ vitæ,
Vt vos perpetuò proſperet alma ſalus.
Non veſtrum turbet thalamum Cocytius *hoſtis;*
Exul & à vobis triſtis Erinnys eat.
Vos Lucina *beet numeroſâ prole parentes,*
Nominis hæredes ut ſupereſſe queant.
Et veluti palmes teneris amicitur ab uvis:
Sic Natis ÆQVI menſa ſit aucta VIRI.
Intereà meſſes vel centum vivite: nec non
Tot nova guſtantes muſta VALETE pares.

Nuptijs ſecundis
JOHANNIS HARTMANI
LL. Cand. & Senatoris Hilperhuſani,
Ut &
ANASTASIÆ SEBERIN
Virginis Hilperh.

ALternat Fortuna vices: ſed IOVA gubernat
Carbaſa Fortunæ cunctipotente manu.

Hactenùs

*Hactenus æquoreis te ſors,*ſors quánta *rotavit*
Fluctibus,in patulo, Vir neonymphe,liquet.
Ipſus enim vidi maris in trepidante charybdi
Te circumvolvi; condolúiq́; tibi.
Fronte ſed explicitâ faciem Thetis *aptat amicam,*
*Mitior eſtq́; tuæ,quàm fuit antè,*rati.
Triſte proin cilium, remove quoq́; ſchemata luctûs,
Dum tua de Pelago cymbula tuta natat.
Antingis portum: Tandem,Neptune VALE, dic:
Viſe domum; quæ ſint gaudia,ibiq́; vide.
Pande fores,præpande tori penetrale; ſubintrat,
Ecce! tui cordis Nympha refrigerium.
Hæc,ſibi ceu Magneta *trahens* Erymanthis *adar-*
Sic te cordifluo ducit amore virum. (*ctat,*
Æſonis & veluti vires Medéa notavit:
Hæc tibi ſic addet vel juvenile DECVS.
Obſequioſa tibi pariter ſub Cypridos aurâ
Corporis ac animi jus regimenq́; dabit.
Hinc bene conjugij nexus ſub Numine cedet;
Cedat ut ex votis,hæc tibi vota lito.
Abſit acor Satanæ,veſtris & amoribus abſit
Ira; ſed alma phalanx vos tueatur ope.
Corpore ſub gemino mens una perennet: Hygeîa
Vosq́; per Euboicæ ſecula vatis *alat.*
Nec minus in veſtrum caput,in gremiumq́; ſinumq́;
Cœlitùs auriſluis depluat imber aquis.
Obſtrepit adverſi ſi quid: levis aura FavonI
Leniat id flatu molliſluente,precor.

Addo,

Addo, brevi vobis HARTMANVLVS unus & alter
Luſitet ad faciem, luſitet ante pedes.
Accinit hæc Tædis mea Pieris: æquiter illa (*LE.*
Conſule: cum SPONSA, SPONSE colende, VA-

Nuptijs ſecundis
GEORGII SELDII,
Coburgenſ. N. P. &
BARBARÆ MAUERERIN
Virginis Coburg.

CONIVGIS *ad flexum vivæ, tibi* copia cornu,
Selde, *ſecundabat proſperitate Lares.*
Vidit & invidit Lacheſis *deflebilis illud,*
Trux in eos figens tela triſulca manu.
Fida columna *domûs cadit, optima ſcilicet VXOR*
Occidit! hanc ſequitur magna ruina domûs.
Hinc caviſſe putans manifeſta pericula lapſûs,
Conſulis altithronum relligioſus Herum.
Annuit actutùm votis Deus æthere ab alto:
Nam pia proſequier vota repulſa nequit.
Annuit, accingens ruituras mœnibus ædes,
Ædibus & columen collocat acre tuis.
Hem quid, SELDE, tuæ domui conſultius? hem quid
Aptius attribui, Selde, tibiq́; poteſt?
Stat Domus intrepidis iterum ſuffulta columnis:
Non fragili muro ſtat bene cincta domus.
Tu quoq; carnificis curæ terrore ſolutus,
Colligis hinc lætos, colligis inde gradus.
Scilicet intuitu recreatos paſcis ocellos,
Ad muriq́; ſacrum ſtasq́; ſedesq́; latus.

Tutius ingeminans ter ſuavia mille, profaris:
TV MANEAS VITÆ MVRVS ADVSQ; MEÆ.
Res tua quàm firmis, mi Selde, *domeſtica ſeptis*
Nititur, in tutum res reparata locum!
Ergo COR *exhilara rurſum, frontisq́, novellum*
Sume decus: novus hic gaudia poſcit AMOR.
Hinc precor & lætor, præſtent ut amore perenni
Gaudia quæ domui ſunt renovata tuæ.
Non ferus Hyppotades, Satanas, Satanæve ſodales
Obſint huic, nec Mors flebilis obſit huic.
Hanc potius repleat ſobole Lucina quotannis:
Et vitæ requiem det Deus, indigenis.

Nuptijs
JOHANNIS SCHRICCELII,
Rectoris Scholæ Hilperh. &
SUSANNÆ MONTANÆ
Virginis Heltburg.

SIc fore prædixi: tandem tibi ducitur Vxor,
SCHRICCELI, ſoli quæ tibi ſola placet.
Nec placet immeritò: Virtutis namq; decore
Splendidulo poſſet cuiq; placere Viro.
En Pietas, en priſca fides præfulget in illâ:
En animi vegeti præminet integritas.
Gratior eſt autem Virtus, cui forma cohæret:
Ducitur ergo tibi vel Iove digna Soror.
Quid loquar? ah formæ non ſum ſpectator acutus:
Verùm forma tibi fomes amoris adeſt.
Nomine SVSANNAM, præſentat req; SVSANNAM:
Stella pudicitiæ quæ radiantis erat.

Labe

Labe caret facies, facie condigna ſtatura
A Momo *poterit judice nulla capi.*
Lactea colla vides, en ora corallina: cernis
Miſtas lacte genas, cumq́ cruore genas.
Hinc amor, hinc bene creſcit honos, hinc creſcit honeſtæ
Frontis imago, piâ cordis in arce tui.
Sed quâ lege legis, quónam legis auſpice *talem,*
Cui nec virtutes, cui neq́ forma deeſt?
Numquid honorifluâ famâ moveare Parentum,
Vt ſobolem poſcas ad ſociale jugum.
Sic reor: Ergò bonûm virtus genuina parentum,
Tranſit in ingenuæ Prolis alacre genus.
Nam generant aquilas aquilæ, generatq́ Leonem
Sæva leæna: BONOS progenerantq́ BONI.
Laus Patris & Matris nullo delebilis ævo,
Prima tibi prolis fax in amore fuit.
Auſpex IOVA fuit: Nam cedunt auſpice IOVA
Cuncta ſalutari tramite, quicquid agis.
Ter felix quicumq́ proin virtute parentum
Motus amat ſobolem, ducit eamq́ ſibi!
Ter felix quicumq́ proin, IOVA Auſpice dicit:
Hem, mea tu, ſocij limen amoris ini.
Cæca Venus contrà eſt naſcens ſuaſore Lyæo
Nullus amor, BACCHO progeneratus amor.
O te felicem! Schricceli: Sed quis Ego jam?
St! Mopſo quondam Niſa dabatur amans.
Vtere conceſſo felix precor utere dono:
Inſtar ſit CORDIS, CORq́ Suſanna, precor.

Corporis hanc ſcutum, vocites animæq́; ſalillum.
Sit comes inq́; BONIS, ſit comes inq́; MALIS.
Suſpenſi trino vivacis Neſtoris ævo,
Vivite pace domi, vivite pace foris.
Cum Lunæ decimò CORNV reparabitur uncum,
Sit tibi qui MATREM, vel ferat ore PATREM.

Nuptijs
OTTONIS MUSMACHERI
Diaconi Themarenſis, &
KUNIGUNDÆ SCHMIDIN
Virginis Hilperh.

ERgo Themariæ *te dictat Epiſtola Sponſum,*
In patriâ Sponſum quem fore credideram?
Hinc ad Tædarum ſatagis me tendere pompam;
Meq́; reum voti, pollicitiq́; facis?
Nil mallem: *quàm me Gleichmano jungere, quàm me*
Langutho comitem jungere ad iſtud iter.
Nil mallem: *Tibi quàm Nymphæ prodire tuæq́;*
Ad latus, in Templum, per choreasq́; comes.
Quàm vellem! *ſed me ſubeundæ functio Spartæ*
Detinet, ut voto non ſatis eſſe queam.
An ſubleſta fides igitur perhibebitur à te
Muſmachére, *mihi? mitior eſto precor.*
Sufficiat voluiſſe tibi parére: reſiſtit
Quando facultatis vis, minuitq́; fidem.
Abſens intereà macto te duplice voto:
Qui gaudes geminâ conditione frui.
Soſpitet in Spartâ te dis benedictis IOVÆ,
Vt per te creſcat relligionis honos.

Te

Te ſimul in thalamo Galilæus *ſoſpitet* hoſpes,
Inq; bonum vertat, quod fuit unda, merum.
Seu facili, triſtivè tibi SORS flaverit aurâ,
SPONSE, tuæ Sponſæ militet unus AMOR.
Paxq; Salusq; juvet parilem vos *inter amorem;*
Et mens in vegeto corpore ſoſpes eat.
Compleat antè ſuum quàm curſu Cynthius *annum,*
Ilithya *thorum prole benigna beet.*
Hinc tibi, Muſmachére, *tui deſciverit omen*
Nominis, Uxori *contigeritq; tuæ:*
Concoquat *ut* pultes, *ad tu cunabla ſedebis:*
Sic ſobolis curas volvet uterq; Parens.
Myſta novelle, *tuo ſic cum grege ſoſpite SALVE:*
Cumq; tuâ Sponſâ, Sponſe novelle, *VALE.*

TALASSIO
In ſolemnitatem Nuptiarum
JOHANNIS COCI, SCHALCOVI-
enſis, Amici mei intimi,
&
MAGDALENÆ MEULINÆ
Viduæ.

I*ANE, ſodalitij noſtri* Pars *intima: cujus*
Unum velle *meum,* nolle *meumq; fuit.*
Cur à mente meâ tua mens diſconvenit? & cur
Iam tibi de thalamo mens aliena ſubit?
Lectus & electus (memini benè) Virginis ardor
Arriſit quondàm ceu mihi: ſicq; tibi.
Fata meum fecére ratum complentia VOTUM,
Inq; mei Nympham fulcra dedére thori.

Præluxi faculam tibi: tu contrarius Iſti!
Cur tenebras ſequeris, lucis iterq; fugis?
Cur VIDVÆ flammâ firmas connubia? cur &
Florida virginei deſpicis ora CHORI?
Deſipis! hem neſcis, quid Muſa diſerta Catulli
De non libati floris honore refert?
Naſcitur obſeptis ut FLOS ſecretus in hortis,
Quem nec ovis tetigit, nec tetigêre boves.
Quem levat aura, fovet quem Sol, quemq; irrigat im-
Quemq; inhiant pueri, quemq; puella cupit. (ber,
Idem cum tenero carptus defloruit ungui;
Non puer hunc optat, nulla puella cupit.
Sic quoq; : ſed præſtat digito compeſcere linguam:
Tu VIDVAM fers præ Virgine; præq; feres.
Nos diverſa tenens igitur ſententia ſolvit
Vnanimes aliàs lege ſodalitij.
Ni pudor, os roſeum ni te, ni Virginis ætas
Moverit intacti forſan ad orſa tori?
Quid ni Cecropij Vatis ratione moveris?
Præeat ut Viduis Virginitatis honos:
Flexilis ad nutûs (inquit) nova Nupta faceſſit,
Obſequio recreans COR juvenile VIRI:
Juncta toro contrà moroſis moribus uti
Geſtit, & antiquûm vult retinere modum:
Imperijq; ſibi proprias affectat habenas:
Cujus, ait, geſto Sceptra, perita magis.
IANE, quid ergò toro VIDVAM præfigere gaudes,
Non bene decernens Virginitatis OPES?

Hem

Hem caput helleboro *purga, renovaq́ʒ cerebrum,*
Vt pòſt mercari cautiùs inde queas!
Dum mihi tale Cypris: *PIETAS contraria dictat:*
Dî melius! Viduis parcere meq́ʒ jubet.
Signa pudoris, ait, quid vanus adultera jactas?
Nomine jam plures ſcit decorare pudor.
Detrahe ne Viduis, veſane, *pudoris honorem:*
In manibus carptæ flagrat odorq́ʒ ROSÆ.
Os an virgineum viduis præferre laboras,
Sæpè quod in fuco ruga ſenilis *habet?*
Sunt quos antè torus fovit, Sors aſpraq́ʒ preſſit:
Nec minus illarum reſtat in ore decor.
Et juveneîs jactas annos virtutibus aptos,
Aptos & Paphiæ luſibus atqʒ jocis?
Quid magis effrénum, mage quid petulansq́ʒ juventâ?
Quid proclive magis jam vitijsq́ʒ cluet?
Eſt condimentum Sophiæ *provectior ætas:*
Ætati ſapiens eſt cibus, Umber ait.
Quod VIRGO VIRGÆ ſimilis, quæ flexilis, inſtas?
Flexa ô flectendâ grata VIRAGO magis!
Fœmina ſi qua pio fuit antè polita Marito,
Poſt tractare virum pro pietate valet.
Scit quid poſcat ubiqʒ domeſticus uſus & eſus,
Singula diſpenſans pro ratione cata.
Fert adſueta malum *patienter, & expetit intra*
Pectora in adverſâ ſorte TONANTIS opem.
Talia de VIDVIS PIETAS mihi ſuggerit: atquî
De viduis, quibus eſt integra Fama, Fides.

Hinc mea ſubjeci ſuffragl puncta: nec auſim
Ad thalamum Viduæ poſt temerare Fidem.
Inter Nos ergo non eſt diſſenſio: quamquàm
Nupſit amica mihi Virgo, Virago tibi.
Nempè Virago tibi nubit, quam prædicat ætas;
Quamq́; fides, pietas, fama, pudorq́; probat.
Feſta DIES *inſtat: Faculas* Talaſſio *vibrat:*
Iam ſolidatq́; tori lex Hymenæa *fidem*
Quiſquis adeſt igitur linguâ faveatq́; canatq́;:
Hymen iò firmo pignus amore bea.
IANE, nepos Veneris, quam fata dedére Maritam
Cœlitùs, hanc dextrâ prende, tuere, fove.
Hanc, uti poſcit honor, Matrem *dignare vocando:*
Hanc, uti poſcit amor, corq; decusq; *voca.*
Illaq́; te contra: ſic flamma reciproca VOBIS
Soſpite det vitâ, detq́; quiete frui.

Nuptijs

PAULI GRAMSII,

Diaconi Lindenſis,

&

ANNÆ WEISSIN.

A*Me vix miſſus rectâ ad te permeat* Hymen,
Ornet ut Idalias, *in tua feſta,* faces.
Me quoque PAVLE vocas; tàm animo, quàm corpore
Vt votis mactem Teq́; tuamq́; κόρην. *(præſens*
Nil mallem: totus *ſi comparére poteſſem,*
Obſequium corpus, cor Animusq́; daret.
Sed nequit hoc fieri: Quî ſic? Nam Sparta *requirit*
Me totum; *Corpus, Cor Animumq́; ſibi.*

Hoc

Hoc& ELISA negat mea nupta novella,*reclamans:*
En ſum ſola tui CORDIS ELISA CAPVT.
Et non immeritò: Quia vel te judice teſtor,
Et MVSAS teſtor, ME CAPVT eſſe, tuas.
PAVLE, quid averſer? Remoræ tot niſibus obſtant,
Ne poßim tædas viſere, Paule,*tuas.*
Non ego: ſed Muſæ veniunt cum ſimplice *mundo:*
Da ſedem Muſis,*hîc ubi noſtra foret.*
Cum Muſis ſimul ac Galilæus *convenit* hoſpes:
Qui tibi,quiq́; tuæ vina meraca feret.
Muſæ vota ferunt: Galilæus *vota reſolvat*
In factum: VOBIS detq́; SALVTIS OPES.

Nuptijs
CHRISTOPHORI FISCHERI
Collaboratoris in officinâ
liquefact. Eisfeld.
&
CATHARINÆ Schwenckin
Viduæ Eisfeld.

D*Vm te,dumq́; tuum nomen,FISCHERE,revol-*
Senſibus: ecce mihi Carminis anſa datur.(vo
Piſcatoris *enim genuini munere functus*
In tua traxiſti retia piſciculum.
Qualis in hoc W erræ *ſinuoſi gurgite,qualis*
Vix in vicini fluminis amne natat.
O quibus extenſus per ripas panditur hamus,
Quot formæ nitidæ decipit intuitus?
Nam quibus Anguillam *fuerat mens prendere,vidi*
In fluvijs anguem ſæpe tenere manu.

Sed te felicem! quem fluminis inter abyſſum
Explicuiſſe juvat rete, favente DEO.
Nactus enim piſcem, qui pollet amoris honore,
Quiq́; favore ſapit, *quiq́; ſapore* favet.
Retibus ô dignam prædam! quæ tempus in omne
Corpus honore cibat, pectus amore beat.
Præda *nociva minus tibi capta eſt. Nam cicurata*
Hæc te ſponte fovet, ſponte tibiq́; favet.
Nil tibi de carnis ſapidæ *confabuler ESV:*
Eſt ſapor acquirens experientis opus.
Quod ſatis atq; ſuper monſtrabit temporis ictus,
Cum dabit ambroſio fercla *ſapore tibi.*
Quid tibi, quidq; tuæ Prædæ ſub fœdere junctis,
In ſpecie tecti Nominis ergò precer?
Scilicet *ut vivas Prædâ cum ſoſpite* ſoſpes,
Conſervetq́; tuos mitis Hygeia lares.
Scilicet ut vivas Prædâ cum compare felix,
Adſpiretq́; tuæ ſuavior aura rati.
Scilicet ut vivas Prædâ cum ſupplice concors,
Tempora Cumeæ Vatis amœna, precor.
Hinc benè piſcatus, benè poſt piſcare: venuſtent,
Piſciculûm menſam quò nova turba tuam.

Nuptijs
JOHANNIS HOFFERI
Collegæ Scholæ Coburgenſis, &
AMALIÆ ÖTTIN
Virginis Coburg.

E*St decus, articulos* gemmis *redimire coruſcis:*
Eſtq́; voluptatis cingere colla modus.

Et

Et volupe eſt alijs avido quandoq; palato,
Ambroſias grato ferre ſapore dapes.
Gaudia ſunt multis, Sobolem *pietate ſuperbam*
Cernere ludentem blanditer ante pedes.
Sunt, quorum riſcos, patulas menteſq́;, ſonori
Argenti *neſcit trux ſatiare fames.*
Exhilarat quoſdam Famæ viventis amantes
Muſa *decus noctu,* Muſa *decuſq́; die.*
Sunt quoq;, quos Pietas in caros ſancta Parentes,
Et cum lætitiâ mulcet anhelus AMOR.
Gemma, dapes, ſoboles, argentum, Muſa, Pa-
Conjugis at caſtæ ſubter amore *latent.* (rentes,
En tibi divitias quantas, HOFFERE, puellæ
Vnius aurifluo captus amore paras!
Hanc tibi quærenti, pulcerrima gemma, dapeſq́;
Argentum, ſoboles, Muſa, Parenſq́; *datur.*
TALIA namq; ſuis obfuſcat dotibus VXOR,
Quæ ſcit amare DEVM, quæ ſcit amare VIRVM.
O felix Hoffere *ter & quater, inter amantes!*
Talis in amplexûs dum tibi Nympha venit.
Illa virum recreat, triſti de pectore curas
Longius & blando famine docta fugat.
Talis ut in thalamos igitur tibi SPONSA ſubintret
Pro ſpe, pro voto, faxit in axe Deus.
Faxit ut ambobus mens una *perenniter inſit:*
Amborum donec ſpiritus oſſa fovet.
Faxit & ut decies flectat dum Cynthia cornu,
Sit tibi qui patrio te ferat ore PATREM.

Nuptij-

Nuptijs
JAN-FRIDERICI HÜBLINI,
Scribæ Heſpergiaci,
&
MAGDALENÆ HERMANIN
Virginis Heltburg.

HErclè voluntatis noſtræ non ſufficit ardor,
Pro libitu *ſocij fœdus inire tori.*
Fata ligant, dirimuntq́, jugum ſapienter amoris;
Si qua venit Iuveni virgo per aſtra venit.
Rem, pie Sponſe, *vides veram, veramq́, fateris;*
Dum dilecta tuos intrat amica toros.
Ac ego rem teſtor ſat miram : Namq, *futura*
Hæc mea dicta fuit, quæ tibi ducta manet.
Cruſtula *ſicq; meo ſubito prærepta palato,*
Iam tua nectareo melle labella cibat.
Nullus *at invideo, tibi quam proſpexit ab axe*
Vna Trias, Myſtæ quamq, ſacravit honor:
Sed potius rem ſic cecidiſſe medullitus optans
Comprecor ut cœptum IOVA ſalute beet:
Curſibus ut medijs divina potentia præſit,
Ne vos felliſluo lædat acóre Satan.
Mens ac una fides gemino ſub pectore vobis
Conſtet amore pari, conſtet honore, precor.
Sit domus ubertim Charitum *completa* favore,
Vt ſpiret dulcis nil niſi Pacis opes.
Cœlitus irrorans celſi *benedictio IOVÆ*
Adſpergat veſtros proſperitate Lares.
Servet Hygeîa ratam vegeto cum corpore mentem;
Exul *& à veſtro limine morbus eat.*

Nec

Nec minùs ingenuâ Sobole Lucina quotannis
Vos mactet, thalami quæ bona ſigna ſient.
Sic longâ ſerie Prolis circumdata Menſa
Gaudia det vobis, gaudia detq́ Deo.
VIVIte sIC IVnCtI CVMeæ ſeCVLa VatIs:
AnnVat & VotIs rIte CoæVa TrIas.

Nuptijs
ANDREÆ LÜTZELBERGERI,
Cant. Hilperh. &
CATHARINÆ HERMANIN,
Virg. Hilperh.

N*Onne* ſagittiferi *quondam jaculando petebant,*
Per campum volucres, per fera luſtra, feras?
Aucupium *jam cerne* novum, *nova retia cerne;*
En ea nunc hominum pectora turba ferit.
Vidi quod refero, vidi cum teſte, quod addo:
Hæc ſenſére DVO ſpicula nempè PARES:
Fortè ſuberrabant gelidis in vallibus ambo:
Abditus in dumis conſpicit ecce PVER:
Lumine captus erat: teneras cingebat & ARCVS
Palmas, & jaculis plena pharétra latus.
Hunc rident puerum geſtantem tela videntes:
Ridentes juvenes ridet & ipſe PVER.
Ridet & extemplò depromit vaſe ſagittam,
Quam celer in juvenum figere corda parat.
Luſus utriq́ fuit; donec ſenſére dolorem,
Miſit ut in pectus tela cruenta manu:
Parce PVER, clamant, retrahens fera ſpicula cordes
Ludéris numquam poſtmodò; parce PVER.

At perfoſſa puer diſcedens corda reliquit,
Porrò nec armatos rideat ullus; ait.
Expetis an Pueri pharetrati Nomen? & illud
Expetis in CVPIDO pectore? Nomen *habes.*
Ergò quiſque ſibi caveat: Nam fidere tutum
Non eſt, quod juvenum ſaucia corda probant.
Fallor, an è numero, quorum fervore fatiſcunt
Vulnera, ſanari tu quoque SPONSE, venis?
Non fallor: flagras etenim præ vulneris æſtu:
Illud ſed Medicus, *qui tibi ſanet, adeſt.*
Hunc Medicum reverenter habe; *reverenter habe-*
Te quoq; curando: *Iam pie Sponſe VALE. (bit*

Nuptijs
JACOBI KIRCHNERI
Collegæ mei, Eisfeld. &
BARBARÆ EBERLINÆ
Virginis Rodagenſ.

Q*Vúm tibi p̃cipiunt tædas* Hymenæus, Amorq;
Teq; jubent ſocio ſubdere colla jugo;
Tolle caput, IACOBE, tuam frontemq; ſerenans,
Prende manu Nympham, quam tibi Iova dedit,
Prende manu ſpondente fidem ſocialis amoris
FIRMAM per dubiæ ſortis utraſq; vices.
Virginis hoc etenim meruit ſincerior ardor,
Dum te poſthabitis prætulit Indigenis.
Scilicet Indigenis *prælatus es* Advena; *Qui ſic?*
Muſophilo *voluit nubere* Nympha *viro.*
Indolis hinc ſpecimen generoſius edidit, in ſe
Et grave VIRTVTVM denotat eſſe DECVS.

Quas

Quas tibi vel nixu pariet prægnante, Virago
Suavior inq; diem, carior inq; diem.
Invidus id ſpectans prærepta Virginis ultor,
Pectore quot fremitus, quot gemitusq; ciet?
Non ſecus ut quondam Phineus *ardentis in ulnis*
Vidit Abantiadæ turbidus Andromedam.
Tale quid haud pendens in amore perenniter inſta,
Molliter & nuptæ baſia pange tuæ.
Invidet hoc ſi quis, ſuperadde süavia mille;
Dicq; tuum Naſum, Lippe, *quid illa movent?*
Inde catenatis VOBIS in amoris honore,
Vna fides, & mens una ſit uſque, precor.
Et precor, ut Chriſtus *penoris prædivitis* Hoſpes,
Det quod & uſus *opum poſcat &* eſus *opum.*
Inter & incolumes vos floreat, auſpice voto,
Vividior cedri germine Pacis honor.
Nec deſit, KIRCHNERE, tibi pro tempore; MA-
Qui referat vultu, qui referatq; Patrem. *(TREM*

Nuptijs
SEBASTIANI RÖRERI
Poligraphi Eisfeld.
&
DOROTHEÆ Schwäbin

S*I quid aves, quod ames, VXOREM cautus aveto,*
Quæ pietate, pijs moribus atq; cluat.
Hæc virides gemmas *rutilis obfuſcat ocellis:*
Gemmæ parvus honor: verus at hujus amor!
Gemmas terra dabit: datur Uxor *honeſta ſupernè:*
Quiſquis habet talem, dona Tonantis *habet.*

Ergò

Ergò ter, ergò quater felix Vxore ſecundâ
Es, cui divinum nominis omen ineſt.
Hanc igitur latèri coſtâ vegetante carenti
Lætus, amoris uti glutine, junge tuo.
Corporis hæc animiq́, tui pars altera, *curis,*
Rebus & adverſis grata medela venit.
Cœlitùs ergo datam reverenter habeto Puellam,
Rurſus erit tuimet ſemper amantis amans.
Integer hinc annis, fies integrior annis,
Et vives ſoſpes ſecula Mathuſalæ.
Sint rata vota precor, fatis ſpondentibus! Vſque
SPONSE tuæ Sponſæ vive, vigeſce, fave.
Optat, ut à thalamo, breviter mea Muſa, ſecundo
Longiùs abſit Eris: comminùs adſit Eros.

SIMONI SCHNETTERO
Sponſo,
Suæque Sponſæ.

S*ALVE, Sicelidum ſoboles,* Schnettere, *Sacerdos,*
SPONSE; *ſimul* Sponſæ *ſit ſacroſancta* SA-
Siccine ſordeſcit ſoltaria ſponda? *ſubornas* (*LVS.*
Sepoſitis ſocijs, *ſic ſociale SACRVM?*
Sed ſpe ſuffultus ſatagis ſubjungere Sponſus
Sponſam: *ſuffragI ſaxula ſubjicio.*
Sic ſtabili ſimitu ſuſpiria ſpargo SALVTI,
Succedant ſuavi ſingula ſymmetriâ.
Suſcipe Sponſe Simon, *ſupero ſpondente Senatu,*
Sedula Sponſa ſubit, ſobria Sponſa ſubit.
Subnigra, *ſed ſpecioſa ſatis, ſapiensq́, ſubintrans*
Singula ſollicitâ ſedulitate ſtruit.

Sanguinitate ſua ſequitur ſic ſemina ſtirpis;
Si ſpectas Socerum, *ſi ſpecitasq;* Socrum.
Splendeſcat Sponſis ſimili ſententia ſenſu;
Sive ſecunda ſubit, ſorsve ſiniſtra ſtrepit.
Soſpite ſucceſſu, ſtadio ſoboleſcite SALVI:
Scimpodion ſpernat ſquallida ſterrilitas!
Strix, Sphinx, ſaga *ſalax*, Satanas, *Satanæq;* ſatel-
Semoti ſuavi ſunto ſodalitio! (les
Sollicitus ſpartam ſectabere SPONSE ſacratam:
SPONSA ſuæ ſpartæ ſponte ſatisfaciet.
Secla Sibyllinæ *ſimul ac ſuperate* ſenectæ:
Salvet ſic ſpecies, ſpesq; ſuperna Senes.
Sic ſummus SEBAOTH *ſociatis ſorte ſecundâ,*
Subſidium ſemper ſuppeditare ſolet.

ECHO
In Nuptias
MAURITII LANGUTHI
Med. Cand. Amici mei integerrimi,
&
MARIÆ Amthor:
Virginis Schleuſing.

DIc mihi Nympha cavis reſonans in vallib', ECHO:
Unde eſt, qui Citharam pulſet Apollo? *POLO.*
Signane ſunt ſueti tàm ſuavia moris? *AMORIS:*
Sed quis adit, viridis tempora, limen? *HYMEN.*
Limen, longa cui Bonitas dat Nomen? *ET OMEN:*
Quem manet ad PORTAM virgo pudica? *DICA.*
*At quæ fax juvenis COR in*flammavit? *AMAVIT:*
Virginis an faculâ COR pare flammat? *AMAT.*

Quæ rogo reſpondens mihi Nympha repende? *RE-*
An Sponſus rectis curſibus it ter? *ITER.* (*PENTE:*
Et genus ac ortum Sponſæ mihi dicito? *SCITO:*
Prodit an ex triſti flore Sinapis? *APIS.*
Ex APE nata placet: num Nomine digna? *BENI-*
Ergo Viri recreet pectora melle? *MELE:* (*GNA:*
Sicq́; ſibi Sponſâ potitur parente? *PARENTE:*
Digna parente, Virum quæ ſcit amare: *MARE.*
Per mala nempe VIRI Cor apicula dulcoret? *ORET:*
Digna proin, Sponſus quam ſibi quærat: *ERAT.*
Ergo quid Nuptis in amore paratur? *ARATVR:*
Quid defert hinc ſub meſſe colonus? *ONVS.*
Ad Junonis *opem ſi nempè* vocabitur? *ITVR:*
In cunis ſoboles tunc ubi vagit? *AGIT.*
Stent precor uſq; FIDE; ſed num fallente? *VALEN-*
Salvis (venturo pignore) Matre: *PATRE.* (*TE:*
Eſto ſat! Hiſce diu monitis cur immoror? *OROR*
Conjugibus Votum das rogo quale? *VALE.*

Nuptijs
CHRISTOPHORI CAROLI,
SS. Theol. Stud. &
AMALIÆ Güttingin/
Virginis Coburg.

N*Ectu* Carolidûm ſoboles, *pro pectore fungum*
Intus habes: etenim quod, tibi quaris, ames.
Quæris & offendis felix medicamen AMORIS,
Vnde leves corpus, pectus & unde leves.
Accipe proviſam divinitùs ergo Puellam:
Corporis hanc, nec non pectoris inſtar ama.

Vos

Vos precor æquali vinclo conglutinet, & vos
Conſtanti ſuperus ſervet Iöva fide.
Nubila ne ſit mens, pluvias ſi fortè minatur
Nubilus Orion: *SOL petit inde IVBAR.*
Ne frontem caperate; Favi dum deficit humor,
Pocla'q; guſtentur turbidioris aquæ.
Reſtituens plenos cratéras, vina coronat
Auctor Iova tori, largifluente manu.
Hinc id ut eveniat, Pietas *tutiſſima veſtræ*
Regula ſit vitæ, ſit cynoſura viæ.
Auſpice ſic voto, numeroſâ prole ſecundus
Contingat thalamus, proſperitate domus.
Auſpice ſic voto, vobis contingat abundan-*te*
Aucta culina cibo, *plena'q; cella mero.*

Nuptijs ſecundis
JOHANNIS MONACHI,
Senatoris Eisfeld.
&
MARGARETHÆ OMMIGERÆ
Virginis Eisfeld.

P*Rædixi vates*; Monachorum tædia vitæ
Mox ſubitura tibi: *Res dat aperta fidem.*
Nunc ais; ergo vale, vale vita monaſtica; *ſoli*
Amplius in lecto, nec lubet eſſe Domo.
Quid ni? Si quis enim SOLVS ſternutet in amplâ
Lecticâ, nemo dixerit: Eja SALVS!
Immò; quis in vacuâ ſi SOLVS obambulet æde,
Et cadit offendens, ſublevet ecquis *eum?*

Fortior eſt ſimplâ reſtis duplicata : *quid & ni*
Fortior ad caſûs VIR pare cinctus, eat ?
Ergo ne Sortis turberis ab impete SOLVS
Adſciſcis ſociam, *cordis amore tibi :*
MARGARIN (ut memini, ut dolui!) Mors abſtulit (antè:
Indultu IOVÆ Margaris *ecce! redit.*
Vt prior, Hæcq́ precor, virtutibus æqua relictam
Inſtituat Sobolem, *conſtituatq́* Domum.
Hinc animo triſti longè mutatus ab illo
Indue lætitiam, diſcute triſtitiam.
Exue nunc, Monache, *in melius converſe,* cucullum:
Exue mœſtitiæ, ſyrmata pulla, notas.
Triſte ſupercilium remove, pete frontis honorem
Explicitæ, renova pectus inersq́ ſitu.
Hoc monet ipſe Dies : Pietas *admittit : utrumq́*
Cor *inſtigat :* Hymen *poſcit :* Amorq́; *jubet.*
Rumpe moras, reclude Domum, præpande torumq́,
Intret Alumna Domûs, intret Alumna Tori.
Ecce! *ſubintravit virtute modeſta : Proindè*
Participa cordi cor, manuiq́ manum.
Myſtes vota præit : glomerantur vota viritim :
Quod Deus adſociat, dis-neq;-jungat Homo.
Quod ſupereſt; benedicta Dei manus ubere cornu
Vos bene-conjunctos mactet & amplificet.
Imparili *junctos ætate, coagulet VNVS*
Ardor, & unanimi Pectoris una FIDES.
Vivite ſic: vitæ monumenta relinquite: vitæ
Stamina prolonget ſoſpiter, VNA TRIAS.

Ad

M. NICOLAUM REBHANUM, V.C. cum Paſtoratum Hilper-huſanum ſuſcipe-ret &c.

QVando venit raucus gemebundo gutture TVR-
Nunciat auricomi Veris alácre decus.(TVR,
Quando reverſa, Deo modulatur, ALAVDA choreu-
Mitia purpurei tempora Veris eunt. (ma,
Quando rauca FVLIX clangit per ſtagna,per undas,
Cedit hyems,placidi Veris & aura tepet.
Quando ſuave canit PHILOMELA per aëra carmen,
Spirat odoriferi Veris amœnus honor.
Quando ſuper tectis gloterare CICONIA ſueſcit,
Suaviter altricem VER tepefactat humum.
Quando redux nidum tignis ſuſpendit HIRVNDO,
*Prolongata micat,*Vere *tepente, dies.*
Turtur, Alauda, Fulix, Philomela, Ciconia,Hi-
Vere quidem læto climata noſtra petunt: (rundo,
Sorte ſed adverſâ, rigidi *ſub flatibus* Euri
Diſcedunt; noſtras deſpiciuntq́; plagas.
His adverſus ades,venerande Rebhane,*profectus*
Ad nos,adproperat dum borealis Hyems.
Eja Rebhane *boni quid fers? quid? nonne futurum,*
Ver Paradiſiacum *voce favente notas?*
VER,ubi trina Monas,Trias *una per aurea cœli*
Atria, lætitiâ dat ſine fine frui.
VER:cujus numquam lætamina vidit ocellus,
Aure,nec humano corde recepta priùs.

Nec ſat: Eò methodum *pede non dubitante meandi*
Inſuper oſtendis ſalvificante logo.
Nec, ceu calva cohors, *audis* Logo-Dædalus: *aſt*
Profers, Scripturæ conſona, ſuntq́; Deo. *(quæ*
Hic tuus adventus ſit gratior omnibus unus:
Gratior hinc avium tergeminoq́; choro.
Te Deus adſpergat cœleſti rore, ſuperſtes
Vt vivas inter nos tria ſecla, precor.
Sic docti, ductiq; *viam, comitante* Rebhano,
Perpete cœleſtis VERE fruamur EDEN,
Hic, ubi perpetuùm redolenti gramine florent
Aurea pax, Requies, Vita beata, SALUS.

EPISTOLIUM
Ad reverendum Senem
ANDREAM MERGILETUM,
Paſtorem Mylfeld. P. Laureatum.

S*I lubet optatâ,* Merglete, *ſalute refertum*
Mitis Epiſtolium hoc carpe, legensq́; proba.
Vnde ſed? Euſeldâ mittit, cui nomen avitum
A ſeptemgeminâ calliditate *ſubeſt.*
Quàm decuit, fateor, mea litera ſeriùs ad te
Fertur & obſtrinxit quàm mea dextra tibi:
Attamen æquiparans mentemq́; manumq́;, negatam
Atq; ferentis opem, me ſine labe *feres.*
Non etenim primi, quod me tibi junxit amicum,
Temporis Hippotadæ *puncta voranda dedi.*
Ter SeldI *tædas memori ſub corde recoxi:*
Tecum, cumq́; tuis verba ter implicui,

Inde

Inde ter arripui calamum, ſenſûsq́; medullam,
Scripturam vetuit nulla datura manus.
Quæ mora me tardat, dixi, quæ Harpyîa *recenter*
Mergleti infixum me rapit è cérebro?
Talia dùm mecum reputo; VOX eja SALVTEM
A te lætificam nunciat apta mihi.
Hem, quæro, quid noſter agit? quî vivit? adhucnè
Corpus in incolumi pectoris arce viget?
Sic verò, ille refert: *à teq́; tuisq́; REVERSI*
Membra ſub adverſâ proſperitate tremunt.
Divexant etenim vario diſcrimine laſſum
Tormina jam corpus, jamq́; podagra pedes.
Suavibus hinc verbis cruciatum mitigat VXOR:
Innuba jam Soboles, docta levare, levat.
Heu! refero, lapides loqueris! *qui corpore ſano*
Æternùm dignus, jamnè Salutis eget?
Me tuus affligit, MERGLETE, doloris amaror,
Deq́; tuo factum vulnere vulnus alo.
Miſſa ſed intereà tua memet Epiſtola laxat,
Verſi ſenſa mei nominis apta tenens.
Apta: licet nimis alta *mihi, gratiſſima lectu,*
Quæ tamen irritant cor ad honoris ITER.
Sed, venerande Senex, *quanam ratione refundam*
In te parturiens pectus amore meum?
Hunc ego, ſi ſatis eſt animum tibi mancipo, IOVÆ
Atq́; meo: cuî ſint hæc rata vota, precor.
Vive diu, Merglete, *mei non immemor: VXOR*
Et tua cum Gnatâ *ſoſpite vivat: HAVE.*

Ad

M. JOHANNEM FABRUM,

Paſtorem & Superintend. Eisfeld.

NATALIS feſtum cele-
brantem.

N*Ominis admoneo te, Vir venerande, ſub ortu*
Natalis, quem nunc Lux hodierna notat.
Si foret implicitis ciliis mea Muſa per annum
Intégrum: tamen hac luce dolére nequit.
Excitat hanc meritò CHRYSOSTOMUS *ore, ſepul-*
Dum de IOHANNIS *munere, tale refert.* (*tam,*
Præit *ut aſtrorum rutilans Exercitus ortum*
SOLIS, ut & nullus Phoſphorus *ipſe cluet:*
Hic niſi, qui nitidus cum Solis proſilit ortu,
Proximus & Phœbi *concomitatur EQUOS:*
Sicq́ Prophetarum ſeries longiſſima CHRISTI
Adventum liquidò vaticinata fuit.
Prodromus *at nemo vocitatus in ordine, Chriſti;*
Hic niſi IOHANNES *ſolus & unus erat.*
Ejus & Adventum non tantùm præcinit: huic ſed
Proximus, expreſſo pollice monſtrat eum.
Nomen IOHANNIS, IOHANNIS *munus & æquas,*
Clare Vir; en animo fac ſimul æquus eas.
Scilicet in ſtadio percurre fideliter, *in quo*
Maxima te ſuperi *dextra locavit* HERI:
Atq; tuæ fidei commiſſos adſere; *neu fors*
AMUSUS MUSAS *judicet atq; regat.*
Sic tibi Natalis niteat perſæpè recurſus,
Teq́ Tuosq́ Deus ſoſpitet uſq; precor.

Ad

Ad
M. MICHAELEM SELDIUM,
Amicum oculiſſimum,
Fautorem benevolentiſſimum,
Promotorem meum obſervandum:

Cum,

E Diaconatu Eisfeld. legitimè vocatus ad Parochiam Hilperhuſij capeſſendam abiret.

DONDALUS ut quondam complexus amore
PETRARCHAM:
Sic ego te, SELDI, non ſimulanter amo.
CANDOR in ambobus, per tres trietéridas *auxit*
Fauſtiter inceptam plenus amore FIDEM:
Nec te Vertumnum *(rumpantur ut ilia* Momi)
Senſi per dubiæ ſortis utramq́ vicem.
Munus in Æde *ſacrâ, cum laude* ſecundus *obiſti:*
Ordine ſed parili me Schola *detinuit.*
Fixit in utrumvis odioſa Calumnia *dentes*
Sæpiùs, incruſtans vaſcula pura logis.
Diſpulit aſt obſtans umbone Dieſpiter *ictûs,*
Ne tua transfoderet, nec mea corda *furor.*
Nec ſatis eſt: Eademq́ ſuas nunc explicat alas,
HILPERTIq́ DOMI te furioſa notat.
Hic ubi tu capias faſces *Templiq́ gubernes,*
Numinis auſpicio, Principis arbitrio.
Sed, quid non fingit, ſpargitq́ Calumnia *de te,*
Qui fraudas Genium *nocte dieq́ tuum.*

An tu per plateas noctu temulentus oberras
Nos apud, effringens vi, ſine mente, fores?
Tunè per ambages ſpatiaris in Vrbe, Choraulis
Stipatus, *cantûs & modulare* Cypri?
Tunè petris ſuetus noctù petÿſſe feneſtras
Civibus, & quodvis turpe patrare nefas?
Diî melius! *quid non* livor Cacodæmonis *audet?*
Audet & innocuos vult temerare viros.
Ah! non tale cadit facinus ſub pectora SeldI: (NI.
SELDIUS eſt oſor TURPIS, amansq; BO-
O *DOMVS HILPERTI*, mea Patria: *noſcere* My-
Si lubet hunc, vulgi mente remota ſies. (ſtam
Qualem judicium vulgi proclamitat; haud eſt
SELDIVS: à vulgo diſſidet ARTIS honos.
Noſcere vis, quisnam ſcandat tua roſtra Sacelli?
SELDIVS auſpicio Numinis *aptus adeſt.*
Hic audit de ſtirpe BONI Patris OPTIMA Proles:
Olim PRÆCO Pater; Hic quoq; PRÆCO DEI.
Hic à cunablis ſua labra liquore Meduſæ
Tinxit, & Aonÿs ora rigavit aquis.
Artibus ut linguas; ſic linguis addidit artes,
Quo VIR integrâ *cognitione foret.*
Visnè latina? *Metris præſtans & lege ſolutus*
Eſt bonus ORATOR, *eſtq; Poëta bonus.*
Visnè pelaſga? *Pedeſter & ore ſolutus acutè*
Scit quoq; Cecropios *elicuiſſe* favos.
Vis Hebræa? *rudis non eſt in fontibus almis:*
Inde rigavit enim pectus & inde rigat.

Nec non ſcrutatus Sophiæ *penetralia, novit*
Quam vitam degat, qui ſapienter aget.
Hinc virtute gravis, vitæ melioris amansq́,
Semita, ceu didicit, quæ ſit ad aſtra, docet.
Hinc quoq́, divini pandens myſteria VERBI,
Quæ ſint fanda monet, quæq́ nefanda vetat.
Hujus ab ore, velut reſolutis nubibus undæ,
Tincta Pericléo *verba* liquore *fluunt.*
O Domus Hilperti, mea Patria; *ſuſcipe Myſtam*
Eisfeldâ miſſum, pectore, mente, manu.
Qualem judicium vulgi proclamitat: haud eſt
Ille: ſed à DOCTIS *Doctus habetur:* & eſt.
At tu, Seldiade, *noſtræ pars intima vitæ,*
Cujus velle *meum,* nolle *meumq́ fuit:*
At tu, Seldiade, *diſcedens deſeris hîc me,*
Pulveris in ſcholici lubricitate ſitum:
Auſpicioq́ DEI, *multis ambíta,* vocatus
Munia laudatæ fertilitatis inis.
SALVVS *ini, ſalvâ cum conjuge, Proleq́ ſalvâ:*
Quod ſuſpiratu cordifluente precor.
Salvus in officio, fatis felicibus utens,
Paſcua ſana GREGI, *non aconita dabis.*
Sic ſatur annorum, demùm caput indue Cycnos:
Et multas animas confer ad aſtra DEO.
Sic floreſce, vireſce, vigeſce, ſeneſce: Meorum
Et memor in Patriâ, *vive memorq́* mei.
DONDALVS *ut quondam complexus amore* PE-
TRARCHAM:
Sic ego te, SELDI, *ſemper amabo* meum.

In Natalem
NICOLAI SUENCII,
Diaconi Eisfeld.

Candida NICOLAI *rediјt fax ſidere fauſto;*
Voti te memorem, me memoremq́ facit.
Dirigo ſed greßûs ad te, cultißime Suenci,
Et tibi Natalis *nuncio feſta tui.*
Mos erat antiquis, mos non ſine laude receptus,
Alterum in alterius mittere vincla diem.
Hic, cuî fulgebat precioſior æris acervus,
Aurea vaſa dabat, fulva metalla dabat.
Alter ab Oceano *cuî venerat* acta Biremis
Mittebat conchas, ſindona, thura, crocum.
Tertius, ut Codri Soboles, *cuî nulla ſupellex*
Intus, vota dabat vermiculata metris.
Ominis ergò boni mittebant talia, amicis
Atq; precabantur proſpera quæq; ſuis,
Quid tibi nunc transdam Natalis *luce fruenti,*
Sinceræ *videas* mentis *ut indicium?*
Aurum non habeo; argentum non poßidet arca:
Nec mea cerra *domi thura Sabæa tenet.*
Alter ego Codrus, *quondam prognatus ab* IRO,
Iam pro thure tuis carmina *libo focis.*
Carmina carpe lubens: quæ ſi Deus audiјt æquus:
Pro auro rutilo *dapßilitatis habent.*
Hæc mea ſint igitur, quæ jam tibi mancipo, Suenci,
VOTA; ut NATALIS fauſtus ab axe ruat.
Te tot ſuffundat Bonitatis honoribus, ille:
Quot ſub Vere novo lilia Chloris *habet.*

Tramite felici totus tibi tranſeat ANNVS,
Tranſeat & parili tramite quiſque DIES.
Det Deus,ut ſoſpes vitæ per tempora currens
Chriſtiadûm doceas enthea verba GREGEM.
Sit tua,ſit ſoſpes Conjux,ſit filius atq;
Soſpes,& à veſtrâ ſint mala cuncta DOMO.
Sic benè vive diu, Suenci; *faxitq́;* IEHOVAH,
Natalem videas ſæpè redire diem.

Lepos leporinus
Ad
M. JODOCUM CORVINUM,
Rectorem Scholæ Eisfeld. Collegam
meum candidum.

EN *rubicunda mihi* FACIES, dilecte Magiſter!
Quis tibi jam videor? dic mihi? Nonne Paris?
Aut Paris, *aut Paridis ſimilis cognoſcor ab omni*
Ign[illegible]*us noto: quod quoq;* mater *ait.*
Vix me perſuaſum paterer; nituiſſet ab ipſo
Ni ſpeculo præſtans frontis imago *meæ.*
Ipſe ſed hanc vidi faciem,viſamq́; probavi:
Forma probata *mihi non ſine laude placet.*
Adſpice nunc formam, formæ ſpectator acutus:
Adſpice me, formæ nobilioris amans:
Atq; auctæ Veneris, *veras ediſſere cauſſas:*
Cur mihi,cur pulcrum crevit in ore DECVS?
Huî ſuboles certè cauſſam,quæ fallere neſcit!
Subrides? leporem nonnè comeſſe juvat?
Hæc penetrans fecit leporinæ copia carnis,
Exultem vultûs PVLCER *ut ante tuos.*

Unica

Unica ſi potuére ſatis tua fercula formam
Abſtruſo noſtram condecoraſſe modo;
Quid, ſi cotidiè leporinâ carne potirer;
Quàm fierem tandem PVLCER adusq; LEPVS!
Sed vereor formam manſuram tempore longo:
Quod cito fit, motu ſic ſubeunte, perit.
Si perit, ut periit, proh! CAVSSA, Mágiſter aman-
Eſt tua: relliquijs non revocatus eram. (de,
Ergo formoſum ſi vis, me ſæpè vocato,
Cum leporina *tibi fercula, menſa dabit.*
Si præbes lépores *mihimet, tibi mitto* lepóres:
Sic hoſtimentum confero ritè tibi.
Si ſatur evadas noſtris: fac certior ut ſim:
Sæpe tibi noſtros do: *mihi* daq; tuos.

Dialogiſmus
Juvenis & Nymphæ:
In gratiam
MELCHIORIS FRANCI,
Phonaſci Saxo-Coburgiaci
præſtantiſs.
A me ex germanico converſus:
Ab ipſo ſeptenis vocibus compoſitus.

Juvenis. CORDIS *alumna mei: quin audis verba vocantis?*
Te vocat, an dormis? vox mea: ſurge, veni.

Hem,

Hem, quis adeſt? num noſter Amor? num noſtra voluptas *Nympha*
Me vocat? Herclè mei cordis Amator adeſt!
Suavis ocelle, ſonos audisnè vocantis anhelos? *Iuvenis.*
Quin mea mellifluo famine corda levas?
Ah ego! ſpem de te facio dubiumq; repoſtas *Nympha*
Sæpè plagas viſis immemor uſq; mei.
Immemor annè tui? profers quid inaniter? abſis *Iuvenis.*
Quamvis ex oculis non tamen ex animo.
Ah faciles credunt, faciles falluntur Amantes: *Nympha*
Anxifer, eſt nam RES experiuntis, AMOR.
Hem quid ais; Mea tu, licet abſim ſæpius à te, *Iuvenis.*
Te tamen in me COR ſomniat & vigilat:
Sic gemo, ceu paſtu rediens Philomela, propage
Cum nidum vacuum cernit, & inde dolet.
O mihi ſi tecum pars eſt, pars æqua favoris? *Nympha*
Audi ſubmiſsè, fare pariq; modo.
Mentio facta tui recreat me; ſicut in æſtu,
Quando victori limpida lympha datur.
Dulce ſatis humor: mihi ſed tua dulcior eſt vox; *Iuvenis.*
Dulcior at longè non-ſimulatus AMOR.
Pro ſed amore tibi promiſſam ſpondeo dextram,
Hunc animum, COR hoc polliceorq; tibi.
Hinc mihi ter SALVE. [Ny.] SALVE [Iuv.] mihi cara valeq;:
Multa gelu prohibet verba nivale: [Ny.] VALE.

STEPH.

STEPHANI SIBENLISTI
Hilperh.-Franc.

FRAGMENTA LYRICORUM,
Schediaſmatum.

Nuptijs
MICHAELIS SCHÖNII,
Medicinæ Doctoris,
&
CHRISTINÆ MARGARETHÆ Biſchoffin/
Virginis Coburgenſ.

DE te fama velut refert,
SCHONI, perſpicuum Pieridum decus,
Paulùm flamma remiſſior
In Trigæ *ſpeciem* triplicis *uſtulat?*
Te contraq; flagrans AMOR
Torret molliculæ Cypridos *ignibus?*
Ex quo, pectore langües:
Hinc ut convaleas, firmiter æneus
Te nexus Medicum *brevì*
Adſtringet medicæ nempe PVELLVLÆ:
Hoc dum percipio, ſtupent
Senſus: Certior at jam rationibus
Factus, lege ligaminis;
Vidi nil oculis convenientius,
Hoc quàm conſociale PAR!
Nam Chriſtina *pijs moribus, & fide*

Quæ

Quæ Chriſtiana *cluet, Tibi*
SCHONI, nubet amans. Harriolare nunc,
Quid commovit amiculum,
COR ipſius ad hunc igniculi modum?
Certè FORMA vigens tui,
SCHONI, quâ rutilas intus & in cute!
An non PVLCER hic eſt, ſinu
Quem ſovit calido Theſpiadum Chorus?
Nec non à teneris, rudes
Abſterſit maculas funditus ingenI?
Et quem cunctigenis dein
Intùs condecorans imbuit artibus?
Addo, quod Charitum manu,
SCHONI, tergeminâ lotus, amabili
Formæ temperie nites;
Quam rugoſa minus turpet ànilitas.
Quin nuperq́; politulam
Miratus ſpeciem PHOEBVS in agmine
Muſarum, *decoraverit*
DOCTORIS titulo te venerabili!
Hinc & Diva Paphi *ſuam*
Subridens ſobolem, *taliter alloqui*
Cæpit; cordicremæ facis
Auctor, *quid trepidas, GNATVLE,* Schönium,
Inflammare, venuſtulam
Vt tandem redamet pectore virginem?
Et quæ dotibus ingenI
Ejus capta; capit nec requiem favor,
Dum ſentiſcat amarier!

Factum dicta ſequi geſtit alacriter
Proles, transadigit ſimul
Flammanti jaculó pectora SCHONII,
Hunc & fortiter in modum!
RES eſt grata tibi, Schöniade,*dolor:*
Gratus, VIRGO, tibi dolor
Eſt. Nunc Hymen *adeſt atq;* Lubentia
Suadentes thalamum ſtrui.
Hæc eſt dicta dies propria Nuptijs:
En CONCORDIA *vos liget*
Nexu perpetuæ convenientiæ
Votum Sancta TRIVNITAS
Sartum conficiat, conficiat ratum:
Et vobis Eadem IVGVM
Fauſtum perpetuet Neſtoris in dies.

In Lauream Poëticam
M. JOACHIMI ZEHNERI,
Paſtoris & Superattendentis Schleuſing.
Viri clariſſimi.

S*I dulce* guttur Dauliados *mihi,*
Aut ſi volúcris Canaridos, *favens*
Concederet Phœbus, *canorum*
Voce melos meditarer acri:
Et te revinctum tempora germine
Laurûs, & almis Vatibus additum,
ZEHNERE,*mactarem novellum*
Laudibus emeritis Poëtam.
Sed ſpernit à ſe me clarius DEVS,
Dum fauce raucâ, conſonus anſeri,

Effingo

Effingo contentûs; nec auſim
Hiſcere *in Aonidum Choréis.*
Tamen ſilentI ſolvere me jubet
Vinclum, locúples materies tuæ
Virtutis, ubertasq́; *celſæ*
Indolis, *ingenuusq́,* candor.
Allectus exin dotibus his tuis,
ANTISTES æquæ magnificus DICES
Vltrò GODELMANVS, decora
Impoſuit tibi ſerta Daphnes:
Et te politis vatibus inferens
Vatem, *recluſit ſacra novenſilis*
Cœtûs, ut inter luculentos
Laurigeros *comes ambulares.*
Quod auſpicato GREX probat omine
Præſtans Olorum, comprobat & Chorus
Omnis Camœnarum; Senatus,
Teſtibus & Chariſin, Sophorum.
Ecquid meretur non tua Pieris,
ZEHNERE, pangens carmen eburneo
Sublime plectro, quod remorſos
Et ſapit & benè ſignat ungues?
Ecquid meretur non labor Iſthmius
In literarum pulvereo ſitu.
Quem diluens dextrâ politâ
In veteres redigis figuras?
Teſtis, venuſtas obviat ALCIMI;
Qui jam redux de Cimmerijs jugis,
Squallente formâ terſus *extat,*
Et veteres recipit colores.

Et Amphilochius Cecropius PATER
Deformitates exuit, ac ope
Tuâ reſumſit derelictum,
Ob cariem maculoſus, uſum.
Quis non cerebri *noverit entheos*
Fœtûs, *in auras hactenùs editos?*
Quos omnis ætas magni pendunt,
Et celebrant manibus terentes.
Quis elegantes nobilis ingenI
Fœtûs, coactis verſibus efferat,
Quos in Lyceorum *paraſti*
Arte bonâ ſapienter uſum?
Nec hoc ſat: ipſius Schleuſiacæ Scholæ
Viſis catervas, ſponte tuâ frequens,
Felice ſucceſſu, IVVENTAM
Cultibus egregiſq́ fingis.
O quàm beatas hæc ſeges aurea
Meſſes! deinceps millecuplas feret
Fruges in annos poſtfuturos,
Et decimas *tibi reddet* amplas!
Hinc eruditi te Genius *chori*
Intaminatis clarat adoreis:
Hinc fama per celſi receſſûs
Ætheris invidiâ vagatur
Livente MAIOR: Quin calami ſtylo
Inuſitati pariétibus tuum
Nomen celebratum faventes
Poſtgeniti, genitiq; *figent.*
Sic Parca *parcens ſtaminibus coli*
Longos elenchos perficiet tuæ

Vitæ; *Senectus* temperatum
Lætitiáq́, videbit ævum,
Carum pruinis dum caput albicet.
Tu perge fervens intereà DEO,
Muſisq́; ſuccos *mancipare*
Ingenij, *meliore niſu.*
Sic ſacra LAVRVS *frontis in ambitu*
Semper virebit: ſic meritâ diu,
Regina Cleîo *te corollâ*
Nobiliore venuſta cinget.
Sic IOVA *tandem ſecula poſt, tibi*
Imponet immarceſſibilis DECVS
Myrti, *coronatusq́; cœli*
Perpete lætitiâ fruéris.

Ad
M. MICHAELEM SELDIUM,
Diaconum Eisfeld. lugentem
obitum Filioli
JAN-MICHAELIS.

Q*Vamvis* GENS *ſapientiæ*
Sub formâ, lacrimas rideat uvidas;
Et nolit faciem VIRI
M AGNI *molliculis luctibus obrui.*
N*am lætis & in aſperis*
Rebus mens eadem permaneat, jubet.
At, SELDI, *gemitûs tuos*
Et quisnam lacrimas cordifluas vetet,
Hoc in filioli *tui*
Mœſto funere? Quis? *Non ego: nec pius*

Quiſquam: nec ferus Ethnicus
  Leſſum triſtiſonum jam prohibere quit!
Leges Cecropius SOLON,
  Urbis Mopſodiæ qui dedit incolis:
Septem quem Sapientium
  Inſcripſit numero Græcia Principem,
Dulci quúm procul à domo
  Defleret Sobolis funera propriæ,
Linguâ & corde gementibus:
  Quam ſummâ tulerat laude prius ſuis,
Contemſit ſapientiam;
  Quæ fortes lacrumis atq; doloribus
Indulgere viros vetat.
  O vos error agit Numinis inſciæ
Gentes! ô Rodopëijs
  Quas nutrire ſatas cautibus appetunt
Tigres ubere Caſpiæ!
  Nos exempla ſequi lucida condecet
Illorum: nituit quibus
  Adverſæ, Superûm perpetuus favor
Præſtans auxilium, REI.
  Quos virtutis amor verus olympicæ
Et veri ſtudium BONI
  Obſcuro varijs tramite gentibus,
Cœli vexit ad atria.
  Illis mœſta dolor pectora ſæpiùs
Punxit, largaq; languidas
  Fluxit ſollicitis lacruma per genas.

IOSE-

IOSEPHUM ſenior Pater
Planxit triſtiſono cordis anhelitu,
Veſtes cum laceras videns
Et tabo madidas turpiter, *autumat*
(*Fraudis neſcius efferæ*)
Extinctum rabidis fortè leonibus:
Nec luctum tenuit prius,
Quàm Gnatum *Phario vivere climate,*
Tandem lætior audijt.
Cari Jeſſaides *funus* Iōnathæ
Planxit, quem ſocium ſibi
Fidum perpetuo fœdere junxerat:
Et puros Socero Gener
Sacravit gemitûs: quo tamen admodùm
Irato, patrio Lares
Per deſerta diu fugit inhoſpita.
Idem funera filij
Deflevit graviter, qui Patriæ nocens
Bellum moverat, & Patrem
Tentarat ſolio pellere regio.
Immò vix animis AMOR
E Patrum teneris decutier poteſt.
Sic & tu Sobolem PATER
Defunctam lacrumis proſequeris piè:
Et Nos uvidulis genis
Teſtamur parilem mœſtitiam, *tibi*
Iuncti fœdere firmiter:
Sed ne te nimiâ ſollicitudine,

Inſtans excrucia nimis;
Suademus, cohibens ut querimoniam,
In mentem revoces tibi,
QVOD PROLEM RAPVIT, QVI DEDIT ANTEA
SVMMVS IOVA, domeſticis
In cœloq́; ſuis miſcuit ANGELIS.
Hic mox pro lacrumis TIBI,
SELDI, gaudia vel mille dabit. VALE.

Ad

LAURENTIUM CONRADI,

Eisfeldenſem, functionem Miniſterij Rotenbach. ſuſcipientem.

TAmquam mercibus Inſtitor *minutis*
Inſtructus, lucra primitùs puſilla
Defert, Emporium *frequente curſu*
Inviſit; vacuus quiete ſomni:
Sed ſuccedere cum videt reapſe
Mentis Propoſitum, in diem, in diemq́;
Et crumena *magis tumet* lucello,
Geſtit in cutis intimo receſſu.
Hinc quæſtûs cumulatione motus,
Quæſitum prius omne comparandis
Vltra mercibus elegantis uſûs
Deſtinat, potius *lucrum lucrari.*
Sic, CONRADE, *negotiationis*
Comparet facies *tuæ: Modò nam*
In Novenſilium FORO, *juventæ*
Vix crepundia parva venditabas:
Iam verò precioſiore merce

(Verbo

(Verbo ſcilicet entheo) *potiris:*
Omnes quæ ſuperat valore gemmas,
Sapphyrum, Smaragdum, Iaſpidemq;
Quam cautus populo Emporus *ſacrato*
Explanes, referas & inde lucrum;
Lucrum *non levis æſtimationis:*
Sed quod merce tuâ ſit uſq; dignum.
Ergò proſperiter negotiari
His cum mercibus ut queas ſuperſtes,
His paucis precor unicè PHALEUCIS.

QVERELA PARENTUM,

Super obitu præmaturo
Filioli
JOHANNIS Eiſenſchmiedts.

COR *atq; vita,* IANULE,
Cur aufugis citiſsimè?
Nos linquis hîc in anxiâ
Vitæ moleſtæ curiâ?

Qui pectoris pars intima
Noſtrûm cluebas, invidâ
Manu prehenſus fortiter
Lethi, peris velociter.

O Mortis ira ferreæ!
Non parcit heu! tenerrimæ
Ætatulæ: ceu floſculum
Quam demetit per hortulum.

Hinc cumbis in cavernulis,

Qui finis ægritudinis;
Erasq́ consolatio,
Et una delectatio.

Curas tuâ loquelulâ
Nobis levabas blandulâ;
Nobis parabas gaudium
Luſu, jocisq́ maximum.

Quid multa? Spes, fiducia
Nobis virebat integra,
Virente te: ſed occidit
Spes omnis, inq́ te perit.

Si fata copiam tibi
Forſan dediſſent: conſequi
Ævum quiviſſes Neſtoris,
Ob mira dona *pectoris.*

Sed more luſit proprio,
Dolos ſtruens tibi pio;
Dum mortis *hinc* licentia
Te raptat in potentiâ.

Num deſeris nos oppidò
In hoc fugaci ſeculo?
Te competet nec cernere,
Poſthac in ullo tempore?

Amiſſus *haud es, credimus,*
Præmiſſus *es, confidimus,*

In cæ-

In cœlicam DEI SCHOLAM,
Ad entheam catervulam.

Nunc intuéris auream
TRIVNITATIS Regiam:
Nunc aggregatus Angelis
Lætaris uſq; gaudijs.

Proindè nullus invidet,
Sed gaudium tibi favet:
Nec te quis ad Nos convocat,
Vbi dolor repullulat.

Nos cura triſtis & labor
Fatigat: at poli vigor
Te mulcet inter hoſpites
DEI potentis divites.

SALVE ſupremùm & jam VALE,
O care fili IANVLE!
Nos interim cum ſanctulis
Mane BEATVS Angelis.

ANACREON
In nuptias
JOHANNIS EBERLINI,
LL. Cand. &
MARGARETHÆ MAGNÆ,
Viduæ.

QVid audio, quid audes,
IANE, Inquiline *PHOEBI,*
Chori novenſiliſq;
Amator atq; cultor?

Sis

Sic Fama, ſicq́; rumor
Ait, remiſsiori
Tepére te calore
In optimas Camœnas
In aureas Camœnas:
Sed audio viciſsim
Cithéris *incitablo*
Te caſtra mollicella,
Cupidiniſq́; ſuaſu
Te caſtra fœminella
Subire concitato
Gradu, catoq́; niſu,
Laſciviore niſu.
Cepiſſe luculentam
PRÆDAM: Salubriorem
Prædamq́; fœmininam
Prædamq́; Satnè felix?
Felix ſatis, ſuperq́;.
Quid audio? *quid audes*
Occaſionis auceps,
Amaſionis anceps;
Aucepsq́; baſiorum,
Aucepsq́; ſaviorum.
Sed audio quid ultrà
MELIORIS illa MAGNI
Quod Præda; ſitq́; Sanguis
MELIORIS illa MAGNI:
Tibi Præda mellilinguis
Meliorq́; ſanguis ejus.

Patria

Patriæ proindè flamma
Melioris *in favorem,*
Melioris *inq́ honorem;*
In teq́ flamma, IANE,
Me traxit atq́ juſſit,
Mactare te precatu,
Mactare teq́ voto;
Intentiore voto:
Mactare te tuamq́
Prædam, tuasq́ tædas.
Hem macte Sponſe, *macte*
Animo, novâq́ Sponſâ!
Ini torum novellum,
Concorde cum novellâ,
Conſorte MARGARETHA.
Tecum ſimul ſubintret
Amica PAX, *ſubintret*
Et Caſtitas honora,
Et Caſtitas decora:
Tecum ſimul ſubintret
FIDES, CHARIS, VENVSq́:
Fidesq́ conjugalis,
Charisq́ conjugalis,
Venusq́ conjugalis.
Tecum ſimul ſubintret
Hygeîa ter benigna:
Quæ te tuamq́ Sponſam
Tueatur uſque ſalvos.
Tecum ſimul ſubintret

LVCINA

LVCINA, te quotannis
Quæ prole maſculinâ,
Quæ prole fœmininâ,
Beetq́; Margarethâ
Beetq́; te Johanne,
Matris Patrisq́; vultum
Referente luculenter.
Hæc vota ſint dicata
Tibi tuæq́; Sponſæ:
IEHOVA faxit unus,
Rata ſint in ævitatem.

Dialogiſmus Sponſi & Sponſæ
GEORGIO CORONIGERO,
Cantori Eisfeld. Collegæ & Adfini meo, &
BARBARÆ KIRCHNERIÆ
Neogamicis Sacer.
Inq́; Parodiâ Horatianâ, Od. 9. lib. 3. apparens:
Donec gratus eram &c.

Spons⁹. D*onec ſolus eram; DEI*
Impulſu; monitu *deînde* Parentium,
Et cordis lubitu *mei*
Elegi thalamo te ſociam *meo.*
Sponſa. *Donec non aliam magis*
Arſiſti; neq; me poſt Patriæ colis
Nymphas: Herclè beatior
Veſtratûm videor virgineo choro.
Sponſus. *Me nunc ſola tenes; prius*
Dulcêis *docta* modos *&* Paphiæ jocos.

Pro te

Pro te non metuam mori,
Dum parcant animæ fata ſuperſtiti.

Sponſa. *Me terres parili face,*
Incenſamq́; moves igne medullitùs:
Pro te bis patiar mori,
Dum parcant tibimet fata ſuperſtiti.

Sponſus. *Quid? ſincerus amor jugo*
Nos junctos facili ſoſpitet in dies:
Flammas *excutiam* vagas,
Uni *militet ac* unus *amor tibi.*

Sponſa. *Quamquam ſidere pulcrior*
Hinc illinc ſpecies *& juvenum* decor
Expandit radios: Tamen
TECVM VIVO LIBENS, ET MORIAR LVBENS.

ANACREON

In Nuptias

NICOLAI DÜMPELII,

Cantoris Hilperh. &

DOROTHEÆ Schmiedin/

Virginis Hilperh.

Novenſilis Catervæ
Pars DÜMPELI *vire-*
Et Cypridos venuſtæ (ſcēs:
Nepos, *Cupidiniſq́;:*
Præire te jubebam,
Præire me jubebas
Amore conjugali
Honore nuptiali:

Amore te præivi
Ætate qui præivi.
Iam Nuptijs peractis,
Votiſq́; ritè factis,
Fruiſcor Elſabethæ
Meæ licentiore
Jugo, *lubentiore*
Jugo, *ſüaviore*
Jugo, *be-*

Jugo, *benigniore*
Jugo, *placentiore*
Jugo, jugoq́; grato.
Tu ponè conſecutus
Honoris incitablum,
Amoris amuletum,
Iugo pari ligaris;
DEOq́, ſic favente,
Simul tibi ligatur
Amabilis Puella,
Placabilis Puella,
Tractabilis Puella;
Puella *flos pudoris,*
Puella *flos decoris:*
Icon puella *Patris,*
Icon puella *Matris:*
Exemplar univerſæ
Pellucidum IVVENTÆ.
Quid expetis? quid ultra
DONVM hoc Dei repo-
Nihil, niſi IEHOVÆ (ſcis?
Benedictionis auram:
Auram benigniorem
Auramq́, molliorem.
Vt compos ergò voti
Fias ſalubrioris,
Medullitùs precabor,
Amoris ut ſi uaris
Licentiore flammâ,
Flagrantiore flammâ:
Flammaq́; *mitiori*,
Flammaq́; gratiori;
In amne dum Vierræ
Natent ſonante piſces;
Hyblæa *dum pererrent*
Apiculæ vireta.
Et inſuper precabor,
Vt interim potitus
Fœcundiore fructu
TORI beatioris;
Colluſitare cernas
Pedes & ante vultûs
Prolem venuſtiorem,
Prolem virentiorem:
Prolemq́, maſculinam,
Prolemq́, fœmininam.
Nil addo, nil precorq́,
Hoc amplius: tuâ cum
Conſorte *vive ſeclum*
Mathuſalæ *ſuperſtes.*

Finis Libelli primi
Schediaſmatum.

STEPHANI SIBENLISTI
Hilperhuſani Franci;

LIBELLUS SECUNDUS Schediaſmatum:

In quo exhibentur,
RELIQVIÆ ANAGRAMMATISMORVM:
FASCICVLVS EPIGRAMMATVM:
APPENDIX CHRONODISTICHORVM.

Candido Lectori.

VOTA meis votis aliena fideliter auxi:
Expoſui gratâ proq; ſalute PRECES.
In caſu LACRIMAS non abſq; dolore profudi:
Et LAVDES hominum concinuiq; DEI.
Ad tædas juvenum feci CYTHEREIDOS aris:
Fluxit & interdum ſalſus ab ore Jocus.
Si quid amas horum, LECTOR lege candidus:
Extant
Vota, preces, lacrimæ, laus, Cytheréa, jocus.

VIRIS
Antiquâ Majorum proſapiâ, maſculâ virtute, & ſingulari exiſtimatione,
Nobiliſsimis & generoſis
Dn. ERNESTO à Schaumberg/
Regiminis fœderatorum in Rauenſtein
TOPARCHÆ:
Nec non
Dn. WOLF-CHRISTOPHORO à Schaumberg/in Almerswind & Ehnes &c.
MAGNIS MEIS PATRONIS.
Juxta etiam
VIRIS
Ampliſsimo & ſpectatiſsimo
Dn. JOHANNI LATERMANO,
Diœceſeos Eisfeldiacæ Præfecto circumſpectiſſimo;
Ut &
Humaniſsimo, literatiſsimoq́;
Dn. MAVRITIO Langut/
Medicinæ Candidato:
Fautoribus & amicis meis ſuſpiciendis,
Hunc ſecundum LIBELLVM ſuorum Schediaſmatum in ſingularis obſervantiæ teſtimonium,
D. D. D.
Stephanus Siebenliſt Hilperh. Francus.

DEDICATIO

PArturit ingenij tenuis, Matercula prægnãs,
Naſcitur in lucem compatre Fœt⁹ egens.
Fœtus non lymphâ lotus Permeſſide; Fœt⁹
Non terſus Charitum, Caſtalidumvè manu.
Sed quia Suffeni patres in amore, propagis
Solliciti nimiter deq; SALUTE ſumus;
Diſpicio, quæroq; meo, pro tempore NATO,
Qui curatoris munus obire velint.
Te verò ERNESTVM, WOLF-CHRISTO-PHORVMq; quirito;
O Schaumbergiacæ biga coruſca Domûs!
Te LATERMANVM, TE LANGVTHUMq; laceſſo,
Ut curam Fœtûs ſinguli habere velint.
Vos alicujus enim feciſtis ut antè Parentem
Me; mea facturos pignora VOSq; reor.
Vobis ergo meum confidens offero Fœtum,
Et veſtro ſupplex dedo PATROCINIO.
Sit licet informis, dextro nec Apolline natus:
Huic tamẽ à veſtro ſurget HONORE decor.
Hunc modò ſuſcipite, ſtipate FAVORIS & aurâ,
Ne blateratrici læſus ab Hoſte gemat.
Si SCHAUMBERGIADIS, LATERMANOq; receptus
LANGUTHOq; placet Fœt⁹ hic: Eſto ſatis!

Ad Auctorem
STEPHANUM SIEBENLIST,
Conrectorem Eisfeldenſem,
PATRUELEM MEUM.

Ut te ſemper amet DEUS, & BONUS omnis in omni
Tempore! quem Charites, quem quoq; Phœb⁹ amat:
Quàm tua me recreant EPIGRAMMATA pumice terſa!
Quàm morſos ungues, quamq; oleum redolent!
Dum mihi, dumq; aliis rident non naris obeſæ;
Inquis, cur Vulgo non ſimul illa placent?
Deſpice vulgus iners: quid apludâ diſtat adorq;
Non videt, & mentis nil ſapientis habet.
CARMINE te potius, commenda carmine DIGNIS:
Nec cura vulgi debile judicium.
Sic te Poſteritas, veniens narrabit in ævum:
Et tua Poſtgenitis carmina grata dabit.
Plena ſuperfundens in te carcheſia laudis
Muſa celebrabit te, geniumq; tuum.
Nec labor hic vivo tibi præmia digna negabit;
Dum tibi præcingent laurea ſerta CAPUT.
Carpat utrumq; licet ME, TE: tamen invida NEUTRI
Surpere turba poteſt, quod dat utriq; DEUS.
Perge BONUS prodeſſe BONIS, Patruelis: *ab aſtris,*
Quæ tibi terra negat, digna brabeia cadent.

Nicolaus Sieblenliſt Iſorites Fr.
Paſtor Schalcoviæ.

STEPHANI SIBENLISTI
Hiſperhuſani Franci,

LIBELLUS SECUNDUS
Schediaſmatum.

I.
RELIQVIÆ ANAGRAMMATISMORVM.

Ad
ERNESTUM à Schaumberg/
Equ. Fr. & Regiminis fœderatorum
in Rauenſtein Toparchæ.

ERNESTVS DE SCHAVMBÄRGA:
Mens ſub ſacrâ re gaudet.

F*RIVOLA ſunt quæ mundus habet fugitivaq́ʒ: Mundus*
Nec quo langueſcens mens ſatietur, habet.
Gaudia non aurum *mihi dat ſincera dolenti:*
Gaudiaq́ʒ argentum *non mihi vera creat.*
Gaudia non gemmæ *conflant, vel* margaris *ulla:*
Gaudia non animis arva, domivè *parant.*
MENS mea SVB SACRA RE GAVDET, ſperne-req́ʒ audet
Mundum, aurum, argentum, margarin, arva, domos.

WOLF-CHRISOPHORO,
De Schaumberg; Equiti Fr. in Al-
merewindt & Ehnes &c.

WOLF-CHRISTOPHORUS DE
SCHAUMEBERG:
I,Cor purum habes: ergò tu flos, decus.

EST DECVS eximium, nullâ palleſcere culpâ
Crimine nec cordis commaculaſſe fibras.
Vita notat mentem, mens arguit actaq; vitæ:
Pectoris ac adytum frons aperire ſolet.
Te, SCHAVMBERGIADE, tenor inculpabilis
Commendat vitæ, cordis & ima probat. (*actæ*
I: Purum Cor habes; Ergo tu flosq; decusq;
Cum virtute *tuis, tum* probitate *tibi.*

VITO WOLFRUMIO, Hilp. Fr. S.S.
Theol. Doctori & Superintendenti
Cycnéæ Miſnic.

VITVS VVOLFRVMIVS.
ἀναγραμματικῶς.
Tu vivus Flos Virûm.

MEcùm viſe ſacrum florentis Adonidos *hortum,*
VVOLFRVMI, Clarij fax & ocelle chori.
Adſpice cum nitidis bene-olentes florib⁹ herbas;
Vt nitidæq; virent, ut viridesq; nitent.
En Caryophilli- *convallia lilia*-flores;
Pallentes violæ, purpureæq; Roſæ:
En Nardus, Stoichas, Narciſſus, Amáracus, Orchis,
Roſmaris *excellens,* Euphraſiæq;, *decus.*

Suaviter

Suaviter ut paſcunt oculos, ut odoribus implent
Ambroſiis nares, ut cerebrumq́; juvant,
Ecquid odorq́; decorq́; Roſæ Violæq́; ? *caducus*
Eſt FLOS: manè viget, veſperè quiq́; riget.
Sed FLOS flore velut præſtat: Sic anteit herclè!
Inter Adamigenas *VIR probitate VIRO.*
Tu quoq; VVOLFRVMI, metagrammatis indice VIR
Quod mage! Tu viv⁹ Flos *perhibere* virûm. *(ES:*
Tu FLOS egregius Francis prognatus in hortis,
Francigenûm nares dulcis odore beas.
Nunc aures, oculos, animosq́; in Miſnidos *oris,*
Salvifici mulces flore *virente* logi.
Non foliis Eruca *tuis,* Bruchusvè *nocebit:*
Sed tibi perpetuus *ſit maneatq́; VIGOR.*

JOHANNI GERHARTO, SS. Th. Doctori, Paſtori & Superintend. Heltburg.

JOANNES GERARTUS:
En ROSA: ARS genuit.

EN *ROSA! quam ARS genuit, peperitq́;* Minerva, Sophia
Quam nutrIt; Charites *quamq́; tulére ſinu.*
Hæc ROSA fragrantem *latè diffundit ODOREM,*
Quo replet FRANCOS, Tyrigetasq́; replet.
Diſpereat! quem non oblectet jugiter, hujus
In Libano *natæ* ſuccus, Odorq́; *ROSÆ.*

Eidem
Diſtichon Anagrammaticum:

JOANNES GERHARTVS, SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTOR, ET SVPERINTENDENS HELTEBVRGENSIS.

Hic eſt ſanctus Atlas doctrinæ deſuper ortæ: ô
Re Egregius nobis: En logon arte tenens!

PAULO MATTHIÆ WEHNERO,
Icto. Advocato Kittingæ; Com.Pal. Cæſ.
PAULUS MATTHIAS WEHNERUS, JURIUM DOCTOR, ATQVE COMES PALATINUS CÆSAREUS:
ἀναγραμματικῶς.

Hic eſt Eunomiæ proles: Vir arte politus:
Ac auſus Muſâ! quantus ametur adhuc?

JOHANNI BIERDUMPHELIO
Hilperh.Fr. Med.Doctori,& Archiatro
Saxo-Coburgiaco.
JOHANNES BIRDUMFELIUS:
Vir bonus, fidelis mane.

Impiger accenſâ quæſivi luce, nec uſquàm
Invéni; prorſus qui bonus *eſſet* Homo.
Te, bonus arte, bonusq́; fide properantiùs offers,
Quàm, BIERDUMPHéLI, mens reperire fuit.
AUSTRIA præſentem, te abſentemq́; Auſtria jactat,
Arte fideq́; bonum, *laude favente, VIRUM.*

FRAN-

FRANCIA præſentem, Te abſentem Francia jactat,
Arte fideq́; bonum, *laude favente, VIRUM.*
Hoc ſatis eſt Cœlo, *ſatis eſt* terræq́;: Fidelis
Uſq́; Mane Vir, *qui* Vir Bonus *uſq́;* *clues.*

M. JOACHIMO ZEHNERO,
P. L. Cæſ.

M. JOACHIMUS ZENERUS, P. L.
Hic per Zelum animoſus.

SI *quis amans lucri,* drachmam *benè collocat;*
HIC EST:
Si quis in Æde DEO fert lucra *carus*; *HIC EST.*
Si quis in officio, Zelo *meret incitus*; *HIC EST:*
Si quis habens animum, viribus ardet; *HIC EST.*
Hic animoſus *agit* per Zelum *munus: at Hic quis?*
ZEHNERUS. Pereat! *quisquis it inficias.*

Eidem
Diſtichon Anagrammaticum.

MAGISTER JOACHIMUS ZENERUS, POETA LAUREATUS, SUPERINTENDENS SC(H)LEUSINGENSIS.

Magnus es ingenio, plenus Virtutis & artis:
Hinc Zelo ſuperas ſanus edace; meres.

JOHANNI ADAMO TRUMMERERO
J. U. D.

JOHANNES ADAMUS TRUMMERERUS: ET IURIS UTRIUSQUE DOCTOR, ET POETA LAUREAM MERITUS.

Alma Themis, veruſq; Decor Virtutis, & ardor
In Muſas, Mortam te ſuperare, vovent.

MICHAELI JUNIORI, J.U.D.
Civi Erphordiano Primario.

MICHAEL IUNIOR J. D.
Lucida in ore mihi:
Dulcia in ore mihi.

Sim quis? & unde? rogas: quæ ſit provincia vitæ?
Accipe; non cujus me retuliſſe pudet.
Neuſtadium *VITAM*: Schleuſis *fundamina linguæ:*
Artibus excultum pectus IENA *dedit:*
Iunxit & Vxores Erphordia: Iuris & æqui
Ornavit titulis me Baſiléa Themis.
His fruor in vitæ ſtadio, ſincerus *amicis:*
Os cum corde quadrans dat retinetq́; fidem.
Hinc ſunt verba fide ſtabilita, recocta favoq́;
Lucida in ore mihi; Dulcia in ore mihi.

M. HEINRICO SCHUNCCIO
Paſtori & Adjuncto Rodagenſi.

M. HEINRICUS SCHUNCCIUS:
Hinc cum re ſuccus ſenij.

SVnt quibus ex quavis nimium re dulce lucellum
Quæritur, ut ſaturent cordis avaritiem.
Sed nec avarities,nec habendi deſinit ardor:
Quò plus quæſierint,quærere plura ſolent.
Tu melioris amans lucri,*doctiſſime SCHVNCCI,*
Cœlite de drachmâ fœnus in Æde capis.
Scilicet ingenij pro viribus,enthea verbi
Munia divini relligioſus *obis.*
Hinc cùm re ſuccus ſenij *tibi profluit: inde*
Cor recrees, animam ſoſpes & inde riges.

M. NICOLAO REBHANO,
Paſtori Hilperh.

MAGISTER NICOLAVS REBHANVS:
Hic magnus arte bonâ luſeris.

INdidit ingenium tibi IOVA: Sed unde tot artes,
Et Virtutis opes *unde, REBHANE, tibi?*
Illud an in LVDO poliens, hæc prenderis? eſt ſic:
E ludo VIRTVS manat & artis OPVS.
Sed datur hîc itidem non cuivis ludere: ceu tu
Acriter hic magnus luſeris arte bona!
Et ſic in Studio *ac* Stadio *te luſus & uſus*
Reddidit eximium *cognitione* Virum.

M. MICHAELI GRUBERO, Hilp. Fr.
tunc Paſtori Iglaviæ inter Marcomannos, Fautori Primario meo
benefico.

MAGISTER MICHAEL GRVBIERVS
Regia Gemmula Chriſti rubes.

Quanta

QVanta ſit in rutilis gemmis potentia gemmis,
Sortis ab invidia nos prohibente latet.
Atqui Chryſolithi *virtus laudata peritis,*
Noctivagi pellit triſte pavoris *onus.*
Illicitos Veneris reprimit Sapphirus *amores:*
Mitigat affectus cordis amantis Onyx.
Purpureus Temeti Vires Amethyſtus *abarcet:*
Inq; venena potens pectus Iäſpis *habet.*
Chryſolitus, Sapphir⁹, Onyx, Amethyſt⁹, Iäſpis.
Quid, GRüBERE, valent ſi tua flamma micat?
Quaslibet exuperans gemmas Virtutis ovatu,
Regia *tu* Chriſti Gemmula *namq;* rubes.
Eſt fumus Sapphirus, Onyx, Amethyſtus, Iäſpis,
Chryſolithus, vires te referante tuas.
Te rutilante, *trucis Satanæ diſpellitur æſtus:*
Te viridante, *pavor cordis inanis abit.*
Te fulgente, *Venus cedit, ceditq; Cupido:*
Te radiante, *procul diffugit Ebrietas.*
Te flammante, *ſacri langueſcunt toxica Fani:*
Teq; vigente, *viget dogma, fides, pietas.*
Hic vigor ambroſius reficit dum clara piorum
Lumina; lædit oclos næ Loiola, tuos!
Gemmee Vir, *gemmis præſtantior, exere vires:*
Vires altitonans *viribus addet HERVS.*
Qui ſuper orbe rubes *hîc* Regia Gemmula Chriſti,
In Cœlo quondam SIDERIS inſtar eris.

Diſtichon Anagrammaticum
Ad
Reverendum *SENEM*

AN-

ANDREAM MERGILETUM, P.L.

ANDREAS MERGILETVS SENIOR, POETA LAVREA ORNATVS, PASTOR MüLEFALDIANVS:

O polles magnâ virtute vir! arte renatâ
Polles! ſed ſanus dura feras animo.

Triga Anagrammatica
Ad
JOHANNEM LATERMANUM
præfectum Eisfeld. ampliſſimum.

I.

JOANNES LATTERMANVS:
An moratus? an & lenis?

II.

JOANNES LATTERMANNVS:
Nam ornatè lenis natus.

III.

JOHANNES LATTERMANVS:
Ah ſumat leniter annos!

V*IX LATTERMANVS ſubeundi Muneris orſa*
Arripit; é Vulgo quærit adulta cohors:
An moratus? An & lenis *Præfectus hic audit?*
Vt nos admittat, nos foveatq́ BONVS.
His Latermani *Genius reſpondet: Ita: eſt* Nam
Ornatè lenis natus, *& uſq́ manet.*

Hinc

Hinc vox vnanimis geminat ſua vota viritim:
Annos ah ſumat leniter, *Hiccè diù!*

SAMUELI LATOCHIO,
Th. & P.L.

SAMVEL LATOCHIVS, P.L.
Vates mollis: Culpa.

N*ominis indicio VATES hic MOLLIS habetur:*
CVLPA, ni credis Zoile, durus erit.

Genethliacon
Ad
NICOLAUM SIBENLISTIUM,
PaſtoremSchalcov.Patruelem meum opt.
De filiolo Matthæo recens-nato.

MATTHÆS SIEBENLIST:
Mente ſat eſt habilis.

C*Ernis,ut ex parvâ ſit glande* Jovi *ſacra* querc*:
Cernis, ut ex pullo ſæpe fit acer equus.
Eſt tener, eſt infans tuus en Matthæolus: atqui
Corpore, pro votis, menteq́; MAGNVS erit.
Corpore ſic tenero PROLEM, quam cernis amictam:
Frontis ab indicio mente ſat eſt habilis.

Ad Eundem
De filiolâ recens-natâ VERONICA.

VERONICA SIBENLISTA:
In bona luce ſita eris.

S*Anguine juncta mihi, VERONICA, naſceris auctrix*
Siebenliſtiadûm, *Matris amorq́; Patris.*

HEIN-

HEINRICO GROSCHIO,
Scribæ Schaumbergiaco, Rauenſtei-
nij &c. Compatri meo
dilecto.

HEINRICUS GROSCHIUS:
Sic cor regis in uſu.

R*Es quæcumq́ ſitu marceſcit & interit*; uſûs
Nî patitur facili dexteritate *regi.*
Uſus *in arte valet, valet* uſus *in impete Martis:*
Uſu *Vir ſapiens continuante cluit.*
Vſu nummus *habet dignum retinetq́ valorem:*
GROSCHI, quo precio ſis, anagramma docet.
Sic Regis *excellente tuum* COR *gnarus* IN USU:
Cor ſapiens, uſu qui moderatur, habet.

M. JOHANNI GLEICHMANO,
Paſtori Crocavienſi.

IOANNES GLEIC(H)MANVS:
En cales ingenio, Muſâ.

M*Opſus & Eumolpeus*; Gleichmane, *caleſcat*
Innumerabilium non-requiet⁹ opum: (amore
Et, quæ tranſvolitet vix paſſis Milvius *alis,*
Plurima cultorum jugera curet agrûm:
At tu compoſtus limo potiore Prometheî,
En! Muſaq; calês, ingenioq; cales.
Mopſus & Eumolpeus pereant: Tu vive ſuperſtes
Ingenio: *Nam te Muſa perire vetat.*

BAL-

BALTHASARO BERTSCHIO,
Mathematico Saxo-Coburgiaco:
BALT(H)ASAR BERTSC(H)IVS:
Clarus ab aſtris beat.

O *Bſtupui nuper, dum Cœlica ſigna tuebar,*
Piſcibus vt geminis Tertius *intererat.*
Res quid alit monſtri? dixi: Sed notus ocellis
BERTSCHIVS ætherei ſtabat ad aſtra Poli.
Inſinuatus ubi diſcebat conſcia fati
Sidera, ſignabat gnarus & illa manu.
Hinc penitos Lunæ doctus Solisq́ labores,
Deſcripſit Cœli ſigna futura *catus.*
Ejus & inſpiciens Prognoſtica, *noſcat amuſſim,*
Quæ bona tempeſtas, quæ mala ſubſit humo.
En! quæ SALA dedit ſudoris præmia: cingunt
Laurea *ſerta caput,* condulus *articulos:*
Addo, quod Humanum *tranſcendens* clarus ab
Seq́ ſuosq́ beat, *Nos aliosq́ juvat.* (aſtris
Purior electro hinc cui ſurget adorea laudis:
Inſtantiq́ comes Fama *perennis erit.*

MAURITIO Languet/ Medicinæ
Cand. Amicorum meorum
ocello.
MAVRITIVS LANGVETIVS:
Animus tuus arte vigil.

F *Loſcule Theſpiadum, Mauriti, largiter in te-*
Pol! ſua dona ferunt IVNO, MINERVA,
VENVS.

IVNO

IVNO Divitias: Sophiæ monumenta MINERVA:
Addidit & vegetum corpus amica VENVS:
Res tibi cum Iunone, tibi cum Pallade, cumq́;
Cypride: Num forſan tu Paris *alter eris?*
Non. Te Chriſtis enim diſcriminat; utpote MALVM
Qui das Heſperidum, *PALLADOS in gremium.*
Hinc te PALLAS amat, quæ format & ornat amuſ-
Ingenij faculas, ſubdit & artis OPES. (ſim
Hinc ANIMVS TVVS ARTE VIGIL, ſublimib⁹ alis
Ad Sophiæ *penetral transvolitare cupit.*
IVNO, VENVSq́; tuis minus obſtant auſibus: adflant
Te ſed amore pari IVNO, MINERVA, VENVS.

BARTHOLOMÆO MUTSCHMANO Poligrapho Eisfeld.

BARTHOLOMÆUS MUETSCHEMANUS:

Ah! ut es, maneto: mulſum cor habes.

SVſcipit antiquum, retinetq́; CALVMNIA: Cujus
AVE ſuſurrat lingua: Cor boat; CAVE.
Nemo ſibi caveat ſatis hac à Peſte*; gerit COR*
Acore fellis, os ſed melle perlitum.
Qui cavet, uſq; cavens: & qui caviſſe ratus ſe
Is Cautor hac à Peſte ſæpe falſus eſt.
Quid, Mutſchmane, *putas, ſi plena potentia nobis*
Contingeret IVS exequi in Calumniam?
Per cor & linguam frameis foderemus acutis,
Cruciq́; figeremus deteſtabilem!

Eſto! citis repedat jam-jam vindicta quadrigis,
Et robur omne præcidet calumniæ.
Quid, Murſchmane, *velim ſuboles: Os approbat in*
Apertiore CORDIS *halitum tui.* (te
Diſtrepat à linguâ cui non COR, ille Beatus:
Et tu beatus es, ſi COR & OS quadrant.
Si COR & OS quadrant in te; nil poſcitur ultrà?
„ *Sed* ah! UT ES, MANETO: MULSUM
„ COR HABES.

MICHAELI DELERO, Notario P.
MICHAEL DELERUS N. P.
In mel dulce ſpera.

S*Ic ſit, & haud aliter ſiet* guſtatio mundi:
Plus aloës *ſemper quàm ſibi* mellis *habet.*
Expendens ſtaterâ vitæ momenta; videbis
Quæ pars inclinet lancis ad ima libram.
Si FEL MEL *ſuperat*, DELERE, dolere *reſiſte,*
Ora nec in rugas vertat amarities.
IN MEL DULCE *tibi* SPERA: *Nam triſtibus*
Dulcis inundabit deſuper ORA *favus.* (*hauſtis,*

JACOBO FRIDERICI N. P.
Præfecto Heſpergiaco Bethemij.
JACOBUS FRIEDERICUS N. P.
En fidus accipior rebus.

C*Ur pede, non* animo, *ſcandam ſublimius: immò*
Cur ego nobilibus præficiar, BONIS?
Munere cur æquus, probat ut Ramnuſia vindex
Fungar, an inquirit Zoilus, *invidet*
Invideat!

Invideat! *pro me reſpondet Nominis omen:*
EN REBUS FIDUS *comiter* ACCIPIOR.
Acceptus Spartam decorabo fideliter: Ecce!
Per mare per terras itq; reditq; FIDES.

SEBASTIANO LAUTENSACCIO,
Senatori Rodag. Adfini meo amando.

SEBASTIANUS LAUTENSACCIUS.
Hic ſalus Senatûs: in caſu beat.

V*Innula* Melpomene *SACCUM TESTUDI-*
SEBASTIANE,te vocat,foretq́, te.(NIS aptè,
Inter enim Muſas,*primâ lanugine,doctus*
Bonas es artis aureæ ſcientias.
Inter earundem conſortia, pectine noſti
Leni movere dulcius melidrium.
Hinc,ex fonte velut promanant undiq́, rivi,
Scatebra ſic cerebri fundit undulas.
Cujus abundantes latices ſitibunda perhauſit
Quintena luſtra per juventa Patriæ.
Hanc bene formaſti, maculasq́, fideliter aſpras
Ab ingenI fœcunditate terſeris.
*Aſt,*Schola *ne cerebri ſuccos emulgeat omnes,*
Abhinc locaris in Senatûs ordinem.
Hic,velut Aſtrææ *canones in lege requirunt,*
Premis REOS,*ut adjuvetur* innocens.
Hoc igitur metagramma meres de pariete fixum:
SALUS HIC EST SENATUS, IN CASU BEAT.

CONRADO CAROLO, Hilperh. Fr. Paſtori Gumpershuſ. Amico meo non-fucato.

CONRADUS CARROLUS:

Sanus corda lucror.

IOVA mihi DRACHMAM conceſſit ab æthere; quondam
Hanc ego cum lucro reddere cogor HERO.
Cautiùs *ergò foro decet hoc mercarier; ut non*
Depoſitum pereat, vel ſine fruge cadat.
Si, quibus expoſui pius hanc in fœnore, SANVS
CORDA LVCROR; Jovæ *ſufficit atq;* mihi.

JOHANNI THAU

Theologo:

JOANNES THAUE:
EN JOVAH SANET.

TVrba ſumus, nimiter varijs obnoxia monſtris;
In nos quæ virus fauce patente *vomunt.*
LIVOR *atrox hîc corda piûm malè ſauciat: iſthîc*
Trux ERIS *exſerto vulnerat enſe viros.*
Iam ruitant FURIÆ *peracutis unguibus in nos:*
In nos jam MUNDUS *tela triſulca vibrat.*
Vulneris ab homini quid HOMO *crudeliter infert?*
Quid nobis SATANAS *procreat uſq; mali?*
Iane, quis in tanto rerum diſcrimine læſos
Adſerat? Hem Medicum *vel metagrammia notat!*
EN JOVAH SANET: *Nihil ergo nocere poteſſunt*
Livor, Eris, Furiæ, Mundus, Homo, Satanas!

GASPA-

GASPARO CONRADO, Theologo:

GASPARUS CONRADUS: Sanus purgas corda.

M*Embra levaturus morbis infecta* Machaon,
Non ſine languentis tormine, præſtat opem.
Dat prius Hellebori *ſuccos,* Abſinthia *datq́,*
Corporis anxiferam tollat ut inde luem.
Ambroſiæ tandem ſapidæ, panacesq́ liquorem
Addit, ut in ſalvo corpore ſanguis eat.
Sorte pari, *curâq́ pari medicamina miſcet*
Morboſis animis Doctor Elohimicus.
Nam ſuccos aloës, Myrrhæq; *propinat acerbos,*
Purget ut internas, vi penetrante, fibras.
Mitigat hinc roſeo dulcore ſalubriter ulcus,
Collectâq́ facit corda ſalute frui,
Inter OVES *Chriſti,* Cuſtos Conrade, *medendi*
Te quoq́ par methodus, *par cynoſura juvat.*
De grege, ſi qua trahit morbum, diſcrimine Lethi;
Eſt Apotheca tibi, pharmaca ſuntq́ tibi.
Primitùs immiſces hauſtum ſudoribus aptum,
Et SANUS PURGAS CORDA, *fugasq́ ma-*
Poſtmodò per Libani, *collecto flore,* virêtum *(lum.*
Subdis odoriferam convenienter OPEM.
ISRAHELITICO *pariter de fonte refectas*
Pectora præ nimiâ languidiora ſiti.
SANUS *in hac iſta poſthac ratione medendi;*
Ne te VERTUMNUM *ſentiat ulla dies.*

Tu purga *purganda*, levaq; *levanda: quod obſtat*
Diſjice. Namq, DEO non hominiq, meres.
Sic precor in Senio currat tibi portio vitæ
Molliter: *& demùm te* Polus *excipiat.*

KILIANO SCHAUERO
N. P.

CILIANUS SCHAUERUS
N. P.

Hic vir ſanus ac plenus.

R*Elligione* virum *ſanum vis, arteq, plenum? (erit.*
SANUS HIC AC PLENUS VIR fuit, eſt, &

JOHANNI EBERLINO,
Adfini meo optimo,

JOHANNES EBERLINUS:
Ah in re leni bonus es.

N*E frontem capera, cordis nec ſtingue* favillas:
Aſpra licet VOTIS obſtrepat aura tuis.
Æqua licet jam non ſuccedant præmia MUSIS,
Triſte minus ſcabito mordicùs ungue caput.
AH! IN RE LENI BONUS ES: *Re leniter uti*
Diſce bonâ: paullùm, *qui bonus ipſe, late.*
Repperit Emtorem proba MERX: abſtruſa li-
In cryptâ: pulsâ nocte diesq; redit. (cet ſit

Aliud
In ejuſdem Nuptias
JOHANNES, MARGARIS.
Gnara ſis in amore.

Sponſus,

Sponſus, Sponſæ:

C*Or tibi participo, Nomen, Corpusq́; Animumq́:*
Quid reddes mihi? SIS GNARA IN AMO-

Reſpond. Sponſa: (RE MIHI.

T*V Cor, tuq́; Animus, Corp⁹, Nomenq́; meum:* SIS:
En ego ſum contrà GNARA IN AMORE

Genethliacon ad eundem (tibi.
De filiolo recens-nato JAN-GASPARO:
JOAN-CASPARUS EBERLEIN:
Næ in ſpe ac labore vir es.

I*Am* Puer *ac* Infans *es: ſed per nominis omen*
IN SPE NÆ VIR ES, AC *porro* LABORE
VIRES.

SIMONI SCHNETTERO,
Scholæ Rodag. Moderatori.
SIMON SCHNÆTTERUS:
Cor ſanum eſt, nites.

M*Vnere* Pactoli, *qui munere dives* Atlantis:
Ni ſapiente viget pectore, Bucco *cluet.*
Auro præſtat enim corpus: ſed corpore Pectus:
Pectus ubi prudens flammula CORDIS *agit.*
Aurea vis niteat Blennis! Schnettere, *decori*
Corporis aſt in te præniteat facies.
Inſuper in ſano COR SANUM EST *corpore: Næ*
Auricolore Mydà *clarius ergo* NITES! (tu

ELIÆ FULICANO Iſennacenſi,
Poligrapho Rodagenſ.
ELIAS FULICANUS IS. &c.
Filius ſanæ lucis.

FRONS *aperit, quē quisq; gerat ſub pectore teſtem;*
Luciferi ſoboles *ſit quis, an Eumenidum.*
Filius hic nigræ gallinæ, *Filius* albæ
Dicitur alter; uti quem ſua fata beant.
Candor & integritas *animi genuina renidet*
Fronte tuâ, quem te proin, Fulicane, *rear?*
Non te Nycticorax *genuit, nec* Bubo: *ſed herclè*
FILIUS *es* SANÆ LUCIS, *honeſta colens.*

JOHANNI HOFFERO Schol. Coburg. Collegæ, Amico meo.

JOANNES HOFFERUS COBURGENSIS:
Hoc uſu ingenij offers res bonas.

Q*Vale probat SCHEDIUS metagramma ſüave*
In quo continuo tramite SENS⁹ eat. (figuras
Quod dum Bucco *videt, diſtorto livet ab ore:*
Æmulus *utq; nequit,* Zoilus *eſſe velit.*
Ede forâs, Hoffére, *tui monumenta laboris,*
Et quæ Muſa parit carmina, mitte forâs.
HOC USU INGENII RES OFFERS: *obſecrò quaſnam?*
Herclè BONAS: *videat poſthuma quæq; dies.*
Perge: Brabeîa feres; modò perge meliſmate dignos
Collaudare viros, & celebrare DEUM.
Puncta meret laudis, nec inaniter otia ſumit,
Si quis ſuaviſonum tornat & ornat EPOS.

PAULO LATERMANO Them. SS. Theol. Stud. Amico meo oculiſſimo.

PAULUS

PAULUS LATERMANUS:

Pallas munerat uſu.

DEme ſupercilio nubem: tua meſſis in herbâ,
PAVLE, viret, grandis ſpem quoq; frugis habet.
Dexter es aggreſſus, cæptumq́; viriliter urges;
Excolis & fidâ Palladis arva manu.
Quid tum? continua: Te PALLAS MVNERAT VSV:
Uſus in his arvis præmia larga dabit.

JOHANNI GREUCHOFIO, Eisfeld,
SS. Theol. Stud.

JOANNES GREUCHOFIUS:

En Heros: nociva fugis.

DEcurſis Studijs, temto quoq; pulvere LVDI,
Cautius affectas ſceptra Miniſterij.
Quàm tibi, quàmq; tuæ benè conſulis ergo Saluti,
In Syrtes *ludi qui cecidiſſe caves.*
Craſſa *ſequuntur enim ſcholicos hæc* monſtra *labores,*
Deſpectus, famæ læſio, pauperies.
Talia præteriens, GREVCHOFI, Myſta futurus;
EN HEROS veluti, monſtra NOCIVA FVGIS.

JOHANNI HINNIO
Muſico in aulâ Saxo-Coburgiaca, Amico meo
ſingulari.

JOANNES HINNIUS:

I, venis in annos.

QVæ mora, quæ ratio te tardat, amabilis Hinni,
Velle maritali ſubdere colla jugo?

Quid differs parili juvenilis amore potiri?
Serior haud ætas congruet apta Cypri.
Quando ſenilis hyems ſocco titubante ſubintrat,
Tunc Erycina *fugit,tunc* Libitina *venit.*
I, *duc Vxorem: cunctando* venis *vel* in annos,
Quos minus Vxor amat,queîs neq; gaudet Amor.
Dum calor in fibris,& adhuc face Cypridos ardes,
Conſule IANE tibi,*conſule* Poſ-q;-teris.

GVILIELMO SCHLUNDIO
Scholæ Rodag. Moderatori.
GUILIELMUS SCHLUNDIUS:
Ullis dignus humi luces.

SI *tua non cunctis arridet* OPELLA,Guilhelme,
Gnaviter in ludi *continuanda* ſitu;
Ne deſiſte,parum curans convicia vulgi:
Ecquis enim cuivis complacuiſſe poteſt.
VLLIS DIGNVS HVMI LVCES tamen: Exere lu-
Hîc: Merces cœli Lux tibi perpes erit. *(men*

In Album
OTTONIS MUSMACHERI,
SS. Theol. Stud.
OTTO MUSMACHERUS:
Cor, os tumet Muſa.

SInt *alijs auro* loculi *rutilante tumentes:*
Mens alijs faſtûs plena tumentis hiet.
OS tibi CORq; TVMET MVSA:proin ſufficit OTTO,
MVSA,COR,OS nobis ſi dat amicitiam.

FELLIGENO
Olim quaſi amiciſſimo.

FELLI-

FELLIGENVS: FLEGELINUS.

ET *Muſa & mores* putent; *Ego ſordeo* totus
Felligeno: *contrà complacet ille mihi.*
Sed mihi neſcio quid præſagit nominis omen,
Vnde mihi totus *complacuiſſe nequit.*
Nam quaſi (FELLIGENVS) genitus de FELLE videtur;
Quod nimis, *incruſtat faſq; bonumq;*, dicax.
Hinc rebar melius *metagrammate reddere nomen:*
Aſt ex FELLIGENO ſit FLEGELINVS: & eſt.

Etymon
OPPIDI EISFELDIÆ,
cum Anagram.

EISNFELDIA: Næ fidelis.

SÆpe *mihi dubiam diſtraxit opinio mentem,*
VRBS hæc conveniens ſumeret unde Etymon.
Dicitur hæc etenim multis Eisfeldia: *nempe*
Quod glacie campus pallet & unda gelat.
Dicitur haud paucis Esfeldia: *plurima multos*
Sæpè quod indigenas deſtituiſſe ſolent.
Sunt quoq;, queîs Vrbs hæc Esfelda vocatur; *edendo*
Quod pars conſumat jugera, prata, domos.
Nec cluet hæc nullis Käsfeldia: *ſaxea maſſa*
Quod caſei in formâ dat monumenta rei.
Nonnulli vocitant Heisfeldam: *ſæpius hanc quod*
Intùs & exteriùs flamma cremârit edax.
Sunt, quibus intitulatur adhuc Hesefeldia: *circum*
Magna quod hanc corylûm *copia conſpicitur.*
De ferro multis Eisnfeldia *dicitur: & ſic*
NÆ metagrammaticè cuiq; FIDELIS erit.

STEPHANI

STEPHANI SIBENLISTI
Hilperh. Franci
FASCICULUS
Epigrammatum.
II.
IN NATALITIIS D. N. J. C.
ad pubem Scholaſt.

NAſcitur Immanuel: *Pueri gaudete Seneſq;:*
Spicula MORTIS hebent: naſcitur Immanuel.
Naſcitur Immanuel: *fruſtrà jam ringitur ORCVS:*
Nil frendat SATANAS; naſcitur Immanuel.
Naſcitur Immanuel: *nil TVRCA, nec atra LIBI-*
Nec PAPA q́d noceat: naſciturImmanuel.*(DO:*
Naſcitur Immanuel; *Gaudete*; *nec amplius obſint*
MORS, ORC⁹, SATANAS, TURCA, LIBIDO, PAPA

JUDICIUM.
Cujus literæ numerales omnes, continent
Annum
cIↃ IↃ C XIII.

JUDICIUM *ſeclis jam lapſis imminet orb* I:
V *erba quod in* Biblijs *præmonuére di* U.
D amnum, *æther, tellus, pelagus prænunciat illu* D:
I *nteritum ſentit resq; creata ſib* I.
C *ur* mens & facies *hominum non reſpicit illu* C?
I *dq; ſuæ vitæ vel properare nec-* I?
U *t nos invenias, venias mitiſſime* JES U,
M *ente aptos: veniat ſic quoq;* JUDICIU M.

Regula

Regula vitæ.

V *Ive piè IOVÆ,tibi* caſtè,*proximo* jüſtè:
Vivere ſi bene vis;ſic bene vive: ſat eſt.

GRATITUDO.

C *Otidiè petimus, capimus quoq; munera IOVÆ*
Cœlitùs: *at grates quis bene-gratus agit?*
Hinc bene-pro-ficÿs,quibus affluor, optime IOVA,
Gratus ago grates,gratus agamq; tibi.

Ad SS. SPIRITUM.

E *St ex corde meo* vetus & mal' Hoſpes *abactus;*
*Qui curet ſatius,quæritur,*Hoſpitium.
Spiritus alme veni,CORDIS latebrasq; repurga;
Hoſpite condignum Te ſit ut Hoſpitium.

AD DEUM
P. P. U. S. S.

I *OVA meæ* mentis *penitùs ſcrutare* receſſus,
Ejuſdemq; preces & pia vota vide.
Si pia vota ſatis,ſatis atq; ſalubria ſi ſunt;
Fac DEUS *uſq;-potens,ut rata vota ſient.*
*Nam PIETAS cum grata tibi,*Pietatis amanti
Fac Pietatis amans *ſit mihi grata* COMES.
Hinc pietate pares *fundamus ab ore frequentes*
Nocte dieq; tibi laudis alacre DECVS.

DE NATIVITATE CHRISTI,
Ad pueros Scholaſt.

Q *Vem fore dixerunt toties præſagia* vatum,
Antè DEVS,nobis jam generaſcit HOMO.

IESVLE

IESVLE, veniſti tandem, ſpes noſtra SALVSq́;?
Suavius Ambroſiâ, IESVLE, Nomen habes.
Rex Homo-Dive, *Caro noſtrâ de carne reſurgens,*
Reſpice nos pueros, *qui* puer *ipſe clues.*
Reſpice nos fratres, animisq́; illabere noſtris:
Adq́; tuum placitum *nos rege, nosq́; doce.*
Sic nos, Chriſte, *tuum* ductum doctumq́; *ſecuti,*
Perpete te noſtrum laude vehamus HERVM.

SOMNUS IMAGO MORTIS.

Q*Vidnàm noſtra QVIES? SOMNVS. Quid Somnus? Amica*
Mortis imago *fuit; Mortis imago manet.*
Te quoties igitur committes nocte quieti;
Eſto memor VITÆ, MORTIS & eſto memor.

In gratiam MAURITII ab HELDRIT Equit. Fr.

S*I moriar, moriar: morienti, CHRISTE, ſed adſis,*
Ad lucem è tenebris me revehasq́;, precor.
Namq́; q.d ulteriùs ſperem⁹ in ORBE? quid? ah quid!
Nil niſi ſunt nobis CVRA, DOLORq́; ſuper!
Quid moror? at propero vitæ melioris *ad uſum:*
Quin immunde prius dixero, MVNDE VALE!

CORRELATIVUM.

S Ponſus, *Chriſt⁹, Her⁹*: cingit, *ſuperinduit, ornat:*
Sponſam, *Nos, Homines,* Frunde, *Salute, Polo.*

CONTRITIO & FIDES.

C*OR trepidat, ſenſusq́; ſtupent ob crimina! ſed tu,*
Senſibus ac CORDI, Chriſte, medela *venis.*

Ad Jeſum.

AD JESUM.

QVi mihi multoties peccata remittis, IESV;
Fac poſthac expers labis ut inveniar.

NOVIS CALENDIS JANUARII.

SYncipu t obvertit nobis cum pectore IANVS,
Anni deſignans ingredientis ITER.
Condona nævos, veteri quos fecimus anno,
CHRISTE fac & nos in ſanctius ire NOVO.

Κειμήλιον meum.

GVttula deſtillans ſancto de corpore CHRISTI,
Omnibus eſt mihimet carior herclè BONIS.

In paſſionem JESU CHRISTI.

CVr ego non ferrem, quod ſors fert aſpera, TANTVM
Pro me dum tuleris, CHRISTE, doloris ONVS.
Sanguineas guttas pro Me colaphosq; tuliſti,
Vincula, flagra, vepres, vulnera, probra, necem.
Heu ſaxum! & ſi quid ſaxo quit durius eſſe,
Quem non in fibris PASSIO tanta movet!
Ah tecum patiar, tecum moriar quoq;! tantùm
Vt tecum in cœlo vivere, Chriſte, queam.

Confeſſio Ad SPIRITUM SANCTUM.

INſpice COR, adytumq; mei, Deus, inſpice CORDIS:
Et, tibi num placeant pectoris ima, vide.
Sed tibi quî placeant, ubi nil niſi ſordis abyſſus,
Colluviesq; putris fecis abundè tumet.

Heu mihi! non valeo removere tot augmina cœni!
Ergo ſub hoc peream ſtercore funditùs? heu!
Non ita. *Nam video* Medicum,*noviq́;: quirito*
Cujus opem: tuq́; es Spiritus alme, DEVS.
Hoc tibi COR *purga: tibi fac* Habitaculum *in illo*
Et cave ne COR *quid pòſt reprobi ſubeat.*

In Natalem
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI,
ad Pueros.

C*HRISTE, Dei ſoboles, ſoboles hominumq́; refulſit*
Natalis *tuimet cœlitùs ecce* vigor!
O quàm læta dies! *thyrſo pietatis adactos*
Mente piâ fac nos hanc iterare diem.
Noſter es Immanuel,*IESV* Fratercule; *noſtro*
Eſt mel *in ore,tuum Nomen,in aure* MELOS.
Fratribus eja tuis,multorum ſemper egenis
Quid fers? quidve dabis fratribus eja tuis?
CHRISTE,*Bonis qui plena clues bonitatis* abyſſus,
A te quas igitur ſollicitemus OPES?
Si licet: ah da te nobis. *Te namq́;* rogari
Nil poterit melius,nil meliusq́; dari.
Omnia habet, te quiſqs habet,retinentib⁹ hinc (te
Deſit in orbe nihil,deſit in axe nihil.

Dictum Auguſtini.

Succeſſus humanæ felicitatis &c.

T*Errenæ ſortis ſucceſſus amabilis,audit*
Æterni damni triſtius indicium.

CONFESSIO SANAT.

S*I peccata tego, tu detegis illa: deinde*
Si retego cunctis obvia, CHRISTE, tegis.
Me mea, Chriſte, gravant iterum peccata: nec intùs
Celentur; fac tu Chriſte *retecta*, tegas.

Ein Kindelein ſo löbelich ꝛc.

P Uellulus *laudabilis*
Hac luce prodit omni,
E ventre caſtæ Virginis
Solatium credenti:
Hic nî PVER natus foret,
Omnes gehenna *perderet:*
Hæc fit SALVS cuiq;.
Nunc euge Chriſte Jeſule,
Nobis Homo *qui naſcere,*
Defende nos ab igne.

STROPHA.

Warumb betrübſtu dich mein Hertz?

Q*Vid triſte Cor inæſtuas,*
Mœrore teq; lancinas,
Ob vana ſeculi?
Confide IOVÆ confitens,
Qui ſingulis eſt rebus ENS.

Sapient. 16.

Es heylet weder Kraut noch Pflaſter ꝛc.

V*Lla nec* herba, *nec* emplaſtrum *mea vulnera ſanet:*
CHRISTE, tuum verbum nî levet, emoriar!

IN NATALITIIS CHRISTI.

EN *venit è Cœlo* novus Hoſpes *in atria mundi:*
Hæc ut Homo ſubeat, deſerit aſtra Deus.
Expectatus adeſt HOSPES; qui divite Cornu,
Omne BONVM confert, tollit & omne MALVM.
Ille quis? Immanuel: *quem tot præſagia vatum*
Indixére; pijs jam novus Hoſpes *adeſt.*
Hoſpes Homo-Deus Hoſpes, *in hoc divertere cor-*
Inq; hoc Hoſpitium, delige, fige, mane. *(de,*
SANCTVS in Hoſpitio fragili cunctabere mecum:
In Cœlo tecum ſanctus *ut* Hoſpes *agam.*

Ad COR ſuum,
IN PASSIONE DOMINI.

EXue Cor luxum, luctum Cor indue: CHRISTO
Omnia cui meritò; tu quoquè compatere.
Sol oculus mundi, CHRISTO patiente, *nigreſcit:*
Cur mea non intus corda dolore nigrent?
Saxa fragore nimis, CHRISTO patiente, *fati-*
Ah cur immotum COR jacet atq; tacet? *(ſcunt:*
Viſcera terrarum, CHRISTO patiente, *reſultant:*
Ah quid in occluſâ ſede COR uſque manes?
Quin monumenta patent, CHRISTO patiente, *meatu:*
Cur te non aperis COR & ob iſta doles?
Exue COR LVXVM, LVCTVM COR indue: CHRI-
Omnia cui meritò; tu quoq; compatere. *(STO*

Pueris

Pueris, meis diſcipulis.

DE NATIVITATE CHRISTI.

EN *Puer apparet nobis demiſſus Olympo,*
In præſepe Deus verus Homoq; *venit.*
Care Puer,nobis quid fers,mitiſsime IESV,
Tunè dator vitæ, tunè Salutis ades?
Care Puer,Pueros roſeo nos adſpice vultu,
Et nobis vitæ daq; Salutis OPES.
Sic tibi *in excelſis excelſâ voce canamus;*
Gloria, laus, virtus,nomen,honosq;,DEO.

Gratiarum actio

AD TRIVNITATEM.

CHRISTE,*tuus Natalis erat,cum fortè* cubili
Licto,*poſticas manè penetro fores:*
Ianua ſemiaperta adeò mihi læſit ocellum,
Dextrum,retrorſùm ſternar ut ante ſolum.
Læſus oclus flammam,nares ac ora cruorem
Projiciunt: Eheu! clamito, Cocles Ego!
Surgit & accerſit Mater *tremefacta* Lycurgum,
Emplaſtrum medicè qui mihi ſuppoſuit.
Intereà SOL triſtis abit,redit unus & alter;
En oculo læſo vis & avita *redit.*
JOVA *tibi, tibi* Chriſte, *ſacer tibi* Spiritus *ergò*
Debeo,quas grates,lingua referre nequit.
Aſt ago *quas poſſum: Poſthac pietatis ad ictum*
Corporis ac animæ fac BONA ſemper eant.
Flebile principium: melior *fac cedat ut* ANNI
Curſus; & *à tenebris exere* CHRISTE *jubar.*

De pluvijs continuis
Anno 1606.

QVæris? & hoc meritò; cœlum cur imbrib⁹ inſtet?
Inſtet & immodico compleat amne Solum?
Quære minus: cœli lacrimæ ſunt: *Deflet iniquæ*
Nàm vitæ miſtam crimine nequitiam.

MENS CONSCIA RECTI.

C Eu generoſus EQV⁹ ſpernit canis ora latrantis:
Sic quoq; MENS recti conſcia temnit HUMUM.

PEREGRINANS.

S OLVS iter ſubeo; ſed iter non permeo SOLVS:
Mecùm dia phalanx *itq; reditq; comes.*

ACHAT-GEORG-WOLFGANGO
de Schaumbergâ, Eq. Fr.
Conſiliario Marchiaco &c.
VIRO
Literis & armis
Nobiliſſimo ac generoſiſſimo.

N Obilitat quæſitus honos *ſeptuplicis ARTIS:*
Nobilitat VIRTVS intemeratá virum.
Nobilitatq; ANIMI generoſi conſcius ardor:
Nobilitat, cæpit STEMMA quod inter Avos.
Nobilitat SOPHIES natæ vis enthea DIVIS:
Nobilitat rebus junctus ubiq; DECOR.
Quin te nobilitant, *HEROS SCHAVMBERGICE,* junctim (*DECOR.*
ARS, VIRTVS, ANIMVS, STEMMA, SOPHIA,

Venerando SENI, VIRO reverendo,
MELCHIORI EPISCOPO,
Paſtori Coburg.& Superintendenti
generali, in Ducatu Coburgiaco:

SALVE Theíologæ ſpes grandis, EPISCOPE, tu(mæ:
VIVE bonus, MELIOR, optimus eſſe potes.
Doctrinâ, Virtute VIGE Pietate, Fideq;:
CRESCE Animi, Sortis, Corporis *atq;* BONIS.
Corpore tranquillus, tranquillus mente SENESCE:
Sic in honore Senex terq́; quaterq́; VALE.
Quid precer utilius, MELIOR, tibi? dixero quàm ſi
SALVE, VIVE, VIGE, CRESCE, SENESCE, VALE.

VOLCKMARO SCHERERO
J. U. D. & Cancellario Saxo-Coburg.
Magnifico &c.
MAGNO MECOENATI MEO.

QVantum molis habent Cancelli *PRINCIPIS;* (in Te
O Patriæ Columen *grande! videre licet.*
Audit *enim per te PRINCEPS reproboſq́; bonoſq́;:*
Et reprobis pœnas, reddit opemq́; Bonis.
Principis hinc reſeras conſultus *ſcrinia CORDIS;*
Pro Sophiæ ſuaſu promis & inde favum:
Et PRINCEPS per te videt *incrementa*, paratq́;
Per te damna videt, *te per & illa* cavet.
Pro re, proq́; loco divina repagula linguæ,
PRINCIPIS in cauſsâ, ſolvis, ob *atq;* ſeras.

PRINCIPIS & Patriæ curam *geris anxius: & te*
Immunem, lucis nullius hora videt.
Per te dat repetitq́; manus *juſtiſſima noſtri*
PRINCIPIS, & parili cuncta bilance librat.
Hinc PATRIÆ Columen, *meritò quoq́;* PRINCI-
PIS audis
Auris, Cor, Oculus, Lingüa, Cura, Domus.

FRIDERICO TAUBMANO,
Poëtarum jam temporis facilè
Principi.

M*VSA Deum celebrans, homines modulamine* (*mulcet:*
Concentu ſuperat muſica plectra CHELYS.
Allectat SIREN naves dulcedine cantûs:
Quid magis humanâ VOCE süave canit?
Vincit acuta ſono reliquas PHILOMELA *volúcres:*
Ad ſtupidum moriens carmina datq́; CYGNVS.
V*ena ſed in verſu* Taubmani *ſuavior eſt, quàm*
Muſæ, Chelys, Siren, Vox, Philomela, Cygn⁹.

Nobiliſſimo Viro
MAVRITIO ab HELDRIT Equ. Fr.
De fragilitate humanæ Vitæ.

V Ita q̃d eſt *hominis ſuper orbe? volubilis VMBRA:*
Vita quid? *ad momen parvus in aure SONVS.*
Vita quid? *à quovis q̃ frangitur impete, VITRVM:*
Vita quid? *eſt prati FLOS refluens & AQVA.*
Vita quid? *Oceani naſcens in margine BVLLA:*
Vita quid? *exoriens improbitate DOLOR.*

Fidimus

Fidimus ah quidnam vitæ? cum Vita nihil quàm
Umbra,ſonus,vitrum,flos,aqua,bulla,dolor.

JOHANNI ZEHNERO,
Schleuſing. Fr. Medicinæ Doctori.

QVâ,Zehneriade,*moveare cupidine frugum,*
In viridi decimas *quod tibi meſſe legis?*
Indolis integritas, *te ſpes,te maſcula VIRTVS*
Scilicet ubertim præcoce fruge beat.
In vernante meres ætate viriliter; haud quod
Forte ſenex novit promeruiſſe DECVS.
Te Sophiæ ſcitis,te Pæonis arte politum
Doctorem medicum *turba novena vocat.*
Et meritò: quis enim Virtutis ad atria, ſicut
Amphitryoniades,*te prior alter ijt?*
Inter ut æquales properaſti præpete curſu:
Sic tibi VICTORI prævia palma *datur.*
Hæc tibi ſucceſſu contingat adorea fauſto,
Hoc precor ut cumules ſemper honore DECVS!
Deficiat te non ARS in diſcrimine morbi,
Te medicante ſuam vim MEDICINA probet.
Obtineas virtute FIDEM; quæ maxima rerum:
Te FORS curantem dexteritate juvet.
Ac HYGIÆA manu tecum commiſceat herbas;
Vt ſpes languenti proveniatq́; SALVS.
Hinc PALMARE DECVS mactabunt jugiter in te
ARS, MEDICINA, FIDES, FORS, HYGIÆA, SALVS.

Ad
NICOLAUM LEOPOLDUM,
Præfectum Heltburgenſem.
Super funere UXORIS.

VT LEOPOLDE, liquet, vis eſt adamantina fatûm;
Obſervant ſtrictè, quem poſuére, diem.
Non movet hæc roſei ſpecies lepidiſſima VVLTVS:
Non Crœſiq; movent auriſluentis OPES.
Næ morti cedat (quæ neſcit cedere) VIRTVS:
Cedat & è veteri cardine STEMMA ruat.
Non Lethi rabiem flectat generoſa IVVENTVS:
Nec, quæ vel penetrant nubila celſa, PRECES.
Ergo fer VXORIS mortem: quam flectere neſcit
VVLTVS, OPES, VIRTVS, STEMMA, IVVENTA, PRECES.

Ad
SIGISMUNDUM HEUSNERUM,
Cameræ Secretarium Saxo-Coburg.
lugentem
Obitum UXORIS
DOROTHEÆ.

DAt repetitq; Deus liberrim⁹: Vnde profecta
Eſt, HEVSNERE, tibi; rurſus it VXOR eò.
Cœlitùs advenit (nomen velut innuit) VXOR,
In cœlum remeat mortis ademta metu.
Sed res difficilis nimis eſt ab amante revelli:
Sit licet: illa tamen RES toleranda venit.

Et

Et cur non toleres, tolerare quod expedit? VXOR
In Patriam Cœli tranſit ab exilio.
Pace *potitur ovans procul hoc à turbine: terris*
Invidus, Vxorem vis niſi Pace *frui.*
In requie *vivit: fers hocnè moleſtius? Hercle*
Invidia eſt; corpus nolle quiete *frui.*
Gaudia *perpetuò capit: hæc fers ægriùs? Illi*
Invidus es; gaudes niſimul atq; faves.
Perpete cum vita, *fluxam mutavit: an ægrè*
Id fers? Invidiâ vita *ſed illa caret.*
Eſt exemta malis, fruiturq; Salute: *doleſnè?*
Invidia eſt, animam nolle ſalute *frui.*
Ergo fer VXORIS fatum patienter: in axe
Vitam *divinæ conditionis habet.*
Huic etenim vitæ fragili, ſuper ÆTHERE præſtant
Patria, pax, requies, gaudia, vita, ſalus.

JOHANNI LATERMANO,
Præfecto Eisfeld. Fautori
meo.

SAlvo *per terræ latebras, quid* corpore *præſtat,*
Salva *beat corpus* Res *locuplete penu.*
Salvus *honor* Famæ *fulvo præſtantius auro:*
Salva *per ambiguum* Mensq; *penetrat iter.*
Salva Salus, *facilem vitam protelat in ævum:*
Salva *triumphat agens in pietate,* Fides.
Salvus *& in Spartâ ſis,* Latermane, *ſuperſtes*
Corpore, Re, Fama, Mente, Salute, Fide.

Nuptijs
JOHANNIS MASLITSERI,
Protonotarij Saxo-Coburg.
&
URSULÆ CÖRNERIÆ
Virginis Coburg.

VNum Conjugib⁹ *gemino ſub pectore ſit* COR:
Unica ſub gemino MENS *quoq; corde ſiet*:
Hinc animus conſtans ANIMO *reſpondeat uni*:
Inq; valore pari SENSA *duobus eant*.
Una FIDES *foveat binos in amore jugatos*:
Inq; fide junctis militet unus AMOR. (*ſtant*
MASLITSERE, ſat eſt; dum te Nymphamq; coar-
Cor, Mens ac Animus; Senſa, Fides & Amor.

Nuptijs
MELCHIORIS FRANCI, Chori Mu-
ſici in aulâ SaxoCoburg. Præfecti:
&
SUSANNÆ Zieglerin/
Virginis Coburg.

FRANCE *vides*, ESTHER *face quâ pietatis inar-*
DOROTHEÆq; fuit pectore quanta Fides. (*ſit*:
Senſit Holofernes *animoſum pectus* IUDITH:
RUTH virtute gravem laudat, amatq; Boas.
Sedato SARÆ convixit amore Tobias
Floſq; pudicitiæ caſta REBECCA fuit.
ESTER, DOROTHEE, IUDITH, RUTH, SARA,
REBECCA;
Sit SUSANNA *tibi* mente, pudore, fide.

Nuptijs

Nuptijs ſecundis
NICOLAI LEOPOLDI,
Præfecti Heltburgenſ.
&
MARTHÆ HELDIN
Virg. Schvvinfurt.

ENthea LUX ſubeat tædas, LEOPOLDE, ſecundas:
Imbuat ambroſiæ pectora juncta FAVUS.
Anni ſuccedant faciles, in ſoſpite VITA:
Cœlitùs & PACIS larga madulſa pluat.
Et quotacumq; dies vobis ferat orta QUIETEM:
Annorum ſaturos excipiatq́; POLUS.
Quid, LEOPOLDE, tibi, Coſtæq́; ſüavius optem,
Luce, Favo, Vita, Pace, Qüiete, Polo?

Ad
NICOLAUM SIBENLISTIUM
Paſtorem Schalcov. Patruelem
meum.

Pro felici novi Anni
auſpicio.

SOſpes *in hoc anno Tu ſis maneasq́; novello:*
Soſpes *eat SOBOLES bis quoq; trina, precor.*
Soſpes *& UXOR agat,* Sibeliſtûm *Nominis auctrix:*
Soſpes *FAMA tibi creſcat, oliva velut.*
Soſpes *edat* verbi *commiſſa CATERVA* viretum:
Söſpes *in auricomo ſtet tua flore DOMUS.*
Quid, Patruelis, *adhûc optem tibi? Sis modò* ſoſpes
Tu, Soboles, Uxor, Fama, Caterva, Domus.

In Natalem
M. MICHAELIS SELDII,
Diac. Eisfeld.

DUlcis *anhelanti Meſſori limpidus eſt* Fons:
Dulcis *cecropij guſtus in ore* Favi.
Dulcis *odor* Violæ *Zephiri ſpirantis ad ortum:*
Dulcis *odorati* Nectaris *aura ſapit.*
Dulcis *& interdum* Lactis *melligo palatis:*
Dulcia *ſunt lautæ fercula promta* Dapis.
Dulcior *aſt inſtat* Michaëlis *ab axe recurſus*
Fonte, Favo, Viola, Nectare, Lacte, Dape.

Nuptijs
SEBALDI KRUGII, Hebrææ
Linguæ in Caſimiriano Coburg.
P. P. &
MARIÆ FRUEAUFFIN.

VEnditur ac emitur *delata per æquora* gemma:
Thus *facturi Superis*, venditur ac emitur.
Venditur ac emitur Librûm *precioſa ſupellex;*
Vnde decus Sophiæ prodit & artis honos.
Venditur ac emitur Frumentum: Veſtis *homul-*
Quæ fovet egelidos, venditur ac emitur. *(los*
Gemma, Thure, Libris, Frumento, Veſtibus.
Præſtat amans Iovæ, præſtat amansq́; Viri.(VXOR
Hæc venit à Iova, venitq́; precatibus: Hanc tu
Nactus ama; *ſeclum vive, Sebalde, Vale.*

Nuptijs

Nuptijs
M. JOHANNIS FABRI,
Paſtoris Lindenavienſis, Amici mei
ſuſpiciendi.

FORMA licet fragilis res ſit: tamen adficit imum
Pectus, ut è formâ progeneretur AMOR.
Exemplo Narciſſus *adeſt*; *innata* venuſtas
Cujus fonticolas traxit amore Deas.
Quam fuit excellens Hyacinthi *vultus in ore,*
Illud amore nimis captus Apollo probat.
Et ſpecies formas ſuperavit Adonidis *omnes*;
Vult in delitijs quem coluiſſe Venus.
Hercles Hylam *formæ præſtantis imagine captus*
Deperijt: quem nec non perijſſe dolet.
Ob decus in facie Ganymedes *raptus ad aſtra,*
Miſceat ut ſummo dulcia pocla Iovi.
Narciſſus, Hyacinthus, Adonis, Hylas, Ganime-
Diſpereant: Solum te tua Nympha colat. (des

Ad
M. MICHAELEM SELDIUM Diac.
Eisfeldenſ. ſuper funere filioli
FRIDERICI.

ADficit *exhalans vitæ ſpiracula* Frater:
Adficit, *emeritus ſi quis* Amicus *obit.*
Adficit, *extinctus lethali funere*, Conjunx:
Adficit, *egelidus cùm ſepelitur* Avus.
Adficit, *icta* Soror *peracutâ cuſpide Lethi*:
Adficit, *è mundo raptus uterq;* Parens.

Frater,

Frater, Amicus, Avus, Conjux, Soror, atq; Parentes

Adficiunt: Soboles morte ſed una *magis.*

M. PAULO WEIGLERO, Paſtori Walburenſi.

I*Vdice fers Phœbo,* Weiglere, *Cor* arte *politum:*
Et Pietatis *opus vita modeſta probat:*
Exul humi, Candor *tibi militat intus & extrà:*
Percitus & Zeli *verbere, munus obis.*
Integèr en vitæ ſtadium *percurris* honore:
Inq; Deum, *inq; homines ſanctus* amore *cales.*
Si minus hîc: quondam potientur in axe brabeîis
Ars, Pietas, Candor, Zelus, Honos, & Amor.

M. JOHANNI GLEICHMANO, Amico meo.

N*On* Carnis *recreent inſulſæ fercla palâtum,*
Nî condimentum temperet illa ſalis.
Caſeus haud tantùm ſtomachum replere poteſſit:
Pane *ſed admiſtus vim ſaturantis habet.*
Abſq; mero fruſtrà Crater *nitet intùs & extrà:*
In Cratere merum *quit relevare ſitim.*
Sic opis alterius, Gleichmane, *& egemus; ut omnes*
Carne, Salis, Caſeô, Pane; Cratere, Mero.

Proſopopœia Exequialis
MAXIMILIANI FABRI,
Paſtoris Bethemenſis; Parentis;

Ad filiam

Ad Filiam defunctam *SV-SANNAM.*

TRiſte *recens capiti læſo ſi* vulnus *inhæret:*
Triſte, *tenax* peſtis *ſi pecus inter agit.*
Triſte, gelu *teneris ſi frugum floribus inſtat:*
Triſte, *Poli quoties* fulmen *ab axe ruit.*
Triſte, *feris fractis, ſi* Fur *bona pervigil aufert:*
Triſte lupus *caulis, ſi laniârit oves.*
TRISTIOR *at, SVSANNA, tuæ mihi mortis imago*
Vulnere, peſte, gelu, fulmine, fure, lupo.

Nuptijs
M. ADAMI XYLANDRI,
&
ELISABETHÆ Amthor/
Virginis Schleuſing.

D*Vm thalamum,* Xylander, *inis cum Compare;*
Gratia *corde pari, pignore* Juno *beet. (voſmet*
Perpetuum ſine lite Venus *ſuccendat amorem:*
Plutus *ſuppeditet ſufficienter opes.*
Corporis incolumem conſervet Hygeîa *vigorem:*
Det victumq́; manu largifluente Ceres.
Auſpice ſic IOVA, ſat habes: *tibi quando miniſtrant*
Gratia, Junô, Venus, Plutus, Hygeîa, Ceres.

JOHANNI HOFMANO,
ærarij aulici Scribæ fideliſſimo.

M*ENS bona, FAMA, FIDES,* Hofmane, *ſalubribus auſis*
Intégrum ſatagunt conſtituiſſe VIRVM.

Mens bona, naufragij nullo culpabilis ictu,
In te non Nemeſin, *nec* Phlegethonta *timet.*
Te bona Fama *bonis commendat & inſerit aſtris:*
Claudicat in nullâ re tua certa Fides.
Integer *ergo clues,* Hofmane, *Vir optime: Nam te*
Dignantur punctis Mens *bona,* Fama, Fides.

Nuptijs
M. JOHANNIS DECCERI,
Rectoris Scholæ Eisfeld. Collegæ mei, &
EVPHROSYNÆ Rußdraußin.

OMnia pace vigent: *quid ni ſtabilita vigeret*
Conjuge pacifica, *publica forma domûs.*
Prudens *utibilem Domui rem proſpicit VXOR:*
Pulcra *levat vultu, voceq́ corda VIRI.*
Si qua pudica, *rubet velut auro gemma cohærens:*
Si pia, virtutum nobilis audit apex.
Cuncta precor verſu: tua ſit, Deccere, *virago*
Pacifica, prudens, pulcra, pudica, proba.

IN NATALEM
MAURITII LANGUTHI,
Amici mei intimi.

M*AVRITI, te* Muſa *beet Natalis in ortu:*
Te Charis *ambroſio plena favore juvet.*
Te Pallas *recreet ſucco meliore cerebri:*
Teq́ animet Bacchus *lætificante mero.*
Flexanimaq́ chelys te mactet Apollo *canore:*
Exhilaretq́ pio mitis amore Venus.

Soſpitet

Soſpitet aſt quæ te, pro voto; cedat Hygeîæ,
Muſa, Charis, Pallas, Bacchus, Apollo, Venus.

Nuptijs
SAMUELIS REUBERI,
Collaboratoris in officinâ liquefact.
Eisfeld. &
ÆSTHERIS WIEDMANNIN,
Virginis Eisfeld.

A *Vſpice prendiſti, RAUBERE, Cupidine* Prędam:
Auſpice, *quam venans* Pallade, *nemo capit.*
Hinnuleum, *venator agens in retia, figit:*
Interdumq́; catâ vulpe *potitur ovans.*
Implicitam plagis capream *modò perfodit enſe:*
Nunc damam, *timidum jam* leporemq́; *capit.*
Sed tua Præda *tibi, REUBERE, placentior eſt, quàm*
Hinnuleus, vulpes, caprea, dama, lupus.

JOHANNI COCO, Amico
& Conſecraneo meo dile-
ctiſſimo.

F *Rangit amicitiam* livor, *ſibi noxia peſtis:*
Tollit avarities *pignus amicitiæ.*
Pectus amicitiæ feritas *inamabilis aufert:*
Demit amicitiæ lis *cooperta fidem.*
Rumpit amicitiam faſtus *cum crimine feſtus:*
Lædit amicitiæ grandior ira *decus.*
Livor, avarities, feritas, lis, faſtus & ira
Nos fugiunt: Duret noſtra proindè FIDES.

In Album

JOACHIMI TRANCEI,

Scrundâ-Curlandi.

QVid, Trancée, *meum NOMEN depoſcis in ALBVM?*
En DEXTRAM libro prodigus addo meam.
Nomine cum dextraq́ FIDEM ſuperaddo perennem:
DISTICHA quam ſat bis bina ſuperq́ probent.
Si quid adhuc dubitas de me; COR accipe noſtrum;
Vnde tibi perpes progeneretur AMOR.
A FRANCO tibi ſufficiant, Trancée, *poëtâ*
NOMEN, DEXTRA, FIDES, DISTICHA, COR & AMOR.

PAVLO VOLCCIO,

Hilperh. Fr. Amico meo veteri.

ÆTAS *una tibi mecum, cultiſſime VOLCCI:*
Quæ mihi, MENS eadem claret aperta tibi.
Nos & ab unguiculis STVDIûM calor unus & idem
Fovit: & Hilperti, *PATRIA noſtra,* Domus,
CANDOR, avis mundo rariſſima, candet utriq́:
Addo, quod inter nos mutuus ardet AMOR.
Ecquis Amicitiam tollet; *Nos quando coarctat*
ÆTAS, MENS, STVDIVM, PATRIA, CANDOR, AMOR.

In Na-

In Natalem
ERNESTI de SCHAUMBERGA;
Equitis Franci generoſi
&
BURGVOGDIO
in Rauenſtein.

Qvid tibi, ſemideûm ſanguis generoſe Parentum,
In natalitiâ luce vovere libet?
Scilicet ex adyto cordis pia vota ciebo;
Vota, quibus vitæ ſtamina longa *precor.*
Numinis auſpicio te LVX hæc ſoſpitet, & te
Viribus intégrum, cœlitùs imbre beet.
Sic inter Schaumbergiadas, ERNESTE, *ſuperſtes*
Vive DECVS generi, *vive DECVSq́ Deo.*

In Symbolum
SAMUELIS LATOCHI,
P. L. & Theologi:
quod eſt,
ET DEUS ET CÆSAR.

ET DEUS & CÆSAR *curæ tibi ſunto, LATOCHI:*
Cæſaris *atque* Dei *tu quia cura clues.*
Cæſari *dasq́* Deo, *quæ danda putantur utriq́:*
Cæſara *visq́* Deum *dona referre tibi.*

O Deus & Cæſar *date munera! Dantur ab illo*
Aſtra Deo: *ſed ab hoc* Cæſare *ſerta Daphnes.*
Omnes per caſus *tibi ſervit* uterq;, LATOCHI:
In quovis caſu *fac ut utrumq; colas.*

Aliter.

E*T DEVS & CÆSAR rerum moderantur habe-*
Hic in terrarum ſede; ſed ille poli. *(nas;*
Quàm benè, quàm ſcitè facis; in tua Symbola *jungis*
Qui caput *in* terrâ, *qui caput inq;* polo.

Ex Anacreonte Iul. Cæſaris Scalig.

Ad

ELIAM FULIGANUM,

Poligraphum Rodag

A*VIA ſunt quatuor: quatuor ſunt INVIA: nec non*
Obvia ſunt quatuor: ſunt quatuor LEVIA.
Avia *MENS, ANIMVS nimis* avius; *eſt & OCEL-*
Avius, *eſt reſonans* avius *atq; SONVS.* *(LVS*
Invia *ſat PIETAS, ſatis* invia *PANTHEA vadit:*
Invia *nonnè QVIES?* invia *nonnè FIDES?*
Eſt levis *IRA; METVS* levis; *immò* leviſſimus *hic*
SPES levis *eſt, & PAX non* levitate *caret.* *(eſt*
Obvius *eſt BACCHVS, petulanti ponè ſequuntur*
Obvia *triga gradu, MVSA, CVPIDO, VENVS.*
E quater his quatuor, Comites *mihi quinq; gregatim*
MVSA, QVIES, PIETAS, PAXq; FIDESq; placet.

In diem Natalitium

M. MICHAELIS SELDII,

Diaconi Eisfeld.

Amici

Amici mei animitùs cari.

*E*XTULIT *OS ſacrum ſacra Lux MICHAELIS*
Diſpulit & lato nubila quæq́ polo. (Olympo;
Quid ni, Pars animæ, *mi SELDI,* maxima, *Lux hæc*
Abſtergat lacrymas cordis ab arce tuas?
Sat luctûs, ſatis & lacrimarum, ſatq́ querelæ
Exhauſit viduæ mentis anhelus amor.
En nova LVX ſignanda redit meliore lapillo,
Natalisq́; *tui feſta vigore beat.*
(Feſta, quibus frueris non SOLVS ut antè, fruiſcis
Sed quibus exultat CORDIS alumna tui.)
O ſacra LVX ſalve! *quantum mœroris abarces,*
Et contra quantâ gaudia mole refers?
Quid tibi, quid circumfuſo lætaminis aurâ
Ergo feram? votis turgida metra *feram.*
Sit felix exorta tibi matuta *diei:*
Exeat atq́ tumens tota SALVTE dies.
Immò per hunc mactet te IOVA ſalutifer annum,
Vt rediens vigeat CONIVGE-PROLE, dies.
Sic ſatis: Aligero cœtu ſtipatus ubiq́,
Det tibi Natalem ſæpè videre queas.

In obitum
Pijſſimæ Matronæ
ELISABETHÆ Biſchoffin.

*I*MPETUS *infligat mortis quot vulnera nobis,*
Dum noſtros aufert, edocet ipſa dies.
Iam proſtratus Avus *vi mortis, jamq́* Parentes
Iam Soboles, *& jam* Frater, *obitq́* Soror.

 Et magis

Et magis illa dolent crudelia vulnera, nobis
Si qua vel à cordis proximitate dolent.
Temporis at lenit talem medicina *dolorem*
Obducens callo vulnera, cruda priùs.
Heu dolor hic quantus! ſi cui de corpore COSTAM
Eripit illa trucis vis truculenta necis?
QVANTVS ſit, ſentis Abrahame, *recente gemiſcens*
Vulnere, dum coſtâ te necis orbat acor.
Quis cataplaſma *proin lateri ſupponet aperto,*
Deliniturum grande doloris ONVS.
Non homo: ſubſtituet coſtam *ſed IOVA* novellam:
Intereà fer, quæ ferre IEHOVA jubet.

Propempticon
MAVRITIO Sanguti
&
JOHANNI GREUCHOFIO,
Eisfeldiâ ad Muſas Salanas
remeantibus.

P*Ar Heliconis amor, MAVRITI, tuq́; IOHAN-*
Vos, clam me, juvat hinc inſtituiſſe fugam? (NES,
Siccinè jam GLACIALIS HVMVS ſordeſcit utriq;,
Inq́; hac Heptadolus *ſordet? abite! ſino.*
Ite, prout mens eſt, vetereſq́; reviſite Muſas,
Ac ibi melliſluis ora rigate vadis.
Ite, ſed abſq; meo non ite precamine; vobis
Adſit in ingreſſu protinus alma phalanx.
Inq́; viâ vos, inq́; SALA, quò tenditis, aurâ
In ſtudijs diâ ſoſpitet Una Trias.

Nuptijs

Nuptijs
M. SEBASTIANI ABESSERI,
Diaconi Schleuſing. &
MARGARETÆ Zehnerin/
Virginis Schleuſing.

CERnuus intrabas, animo, qui languidus, hinc &
Inde tuo quærens anxius ANTIDOTVM.
Inveniebatur, quod quærebatur humi, tunc:
Sed non hæc animo res erat apta tuo.
Erigis hinc faciem, cœlumq; tuëris; Egeno
Unde bonum omne venit, pharmacon inde pe-
Audit & exaudit tua vota precesq; IEHOVAH; (tis.
Dona dat & votis vel potiora tuis!
Pharmacon optabas, quærebas pharmacon: Ecce!
MARGARIN è cœli dat tibi IOVA throno.
MARGARIS hæc gemmis præſtantior omnib⁹; herclè
Vim miram, ſi de corde ligatur, habet.
Quicquid olet, quicquidq; dolet, depellit ab imo
Pectoris, & recreat vi penetrante fibras.
MARGARIN, Abbeſſere tibi devotiùs ergò
Grator, ut oblectet cor, animumq; tuum.
Non quid acetoſi dirumpat Margarin à te
Te nec ab ipſius pellat amore malum:
Copula vos inter (ſoboles) dum ſurgat Amoris,
Unio MARGRETÆ ſis, ſit & illa tibi.

Ad eundem Jocus.

ESurit ABBESSER; decimas ſibi colligit intra
Horrea, quò poſſit mox relevare famem.

Ad NICOLAUM SUENCIUM,
Diac. Eiſfeld.
De Obitu Filiolæ.

QVInta DIes FebrVI te proLe beaVIt; & ILLa
LVX qVoqVe te Caſſat proLe: VIDesnè VI-
Suence, vides, ſentisq́: potens cenſura Iehovæ (Ces?
Sic agit, & miſcet gaudia triſtitiæ.
Triſtia fer: lætumq́ feres. Nam nemo favonI
Laudabit flatum, quem minus uſſit hyems.

ACROSTICHIS in Natalitium diem
HEINRICI GROSCHII,
Præfecti Schaumbergiaci in
Rauenſtein.

HEINRICI natale jubar comparet ab ortu,
E t te jam memorem Nominis eſſe jubet.
N omen id acquirit, quo te Baptiſma beavit,
R umpat ut ex animo, quæ dolet, anxietas.
I n requie Genio ſacra Lux hæc ſerviat, omnis
C ura per Oceanum naviget Anticyras,
V t te lætitiâ geminante proindè reſolvas,
S uggerit Uxoris lux tibi materiem.
M ARGARIS eſt gemmæ nomen, tua Margaris
A ptat Natali craſtina feſta ſuo. (Vxor,
R es bona: Concordes qui corpora cordaq́ jungunt,
G audent ut faſtis nomina juncta legant.
A lter ūt alterius quarè requieſcat AMORE,
R es & Nomen uti poſtulat, usq́ precor.
I mmò favor IOVÆ triplicis vos Neſtoris ævo
S oſpitet, ut ſalvi vivat uterq; diu.

Natali

Natali
JOHANNIS LATERMANI,
Præfecti Eisfeldiæ circumſpectiſſimi.

QVàm bene conveniant interdum nomina rebus,
Latermane,*tuum nomen utrumq́ probat.*
IOHANNES redolet Charites: *tibi* gratia *nomen*
Ergo dat: hoc iterat Lux hodierna ſacrum.
Sed quis Johannes *fuerit ſacra pagina monſtrat,*
Nempe quòd haud ſiceram *nullaq́* vina *bibit.*
Illecebris nec tu vini,ſiceræve *gravaris,*
Sobrior *ad munus ſis, ut easq́ tuum.*
Quàm bene prætereà quadrat cognominis omen,
Vir *cum* laternæ *proprietate clues.*
Dux etenim laterna *viæ: tu norma popelli*
Dignam prælaces teq́ aliįsq́ facem.
Perge bonis igitur bonus impertire favorem:
Depluet in te ſic dius *ab axe* favor.
Et LATERNA bonis tua praeat obvia: ſic &
Natalis radios ſæpe videbis ovans.

Nuptijs
M. BALTHASARI BERTSCHII,
Coburgenſ. Mathematici:
&
WALPURGIS Hoffmännin
Viduæ.

QVo flammæ raperis ſubito nimis impete, Bertſchi,
Sis ut in annonæ jam gravitate PROCVS?

Nec te deterret borealis atrocia Cauri:
*Ver magis eſt aptum,molle calore,*Cypri.
Scilicet hoc ideò: tibi praſtò ſit VXOR ut olim,
Vilius annonæ quando paratur opus.
Scilicet hoc ideò: quò ſit tibi ſuavior VXOR,
Quæ foveat gelidum plena calore latus.
Addo, dimidium victûs *quod* Fœmina *fertur:*
Fœmina ſed facie qua probiore nitet.
Laudo Propoſitum *BERTSCHI; non frigora,nec te*
Annonæ gravitas fórs ab amore trahant.
Annuat ergo tuis Deus almus *ab æthere tædis,*
Dans tua nectareo ſtillet ut imbre Domus.
Sic tibi poſt annos Percarum turba puſilla;
Sic tibi piſciculis *menſa ſit aucta precor.*

In Magiſterium
JOHANNIS FABRI, Hilp. Fr.
Amici mei optimi.

A*Bſit mollities viſuro* Palladis arva,
Vnde venit VIRTVS,unde petitus honos.
Amphitryoniadæ,*curſu ſed grandiat,inſtar,*
Cùm veniente die,tùm fugiente, gradûs:
Donec contigerit ſurgendo palatia metæ:
Laus ubi,virtutes,fama,decusq́ vigent.
Nunc exantlatis, FABER, ergo laboribus adſtans
Planitiem metæ dignus honore ſubis.
Ecce Novenſilium ſubeunti præmia! *cingit*
Mitra *caput,*rutilans *articulosq́* lapis.
*Nomine mactaris,*Sophies *audisq́ MAGISTER,*
Non quales celebrat nomen inane Sophos.

Hîs addam titulis quid ego? Nil: attamen addo
Vota; *requiſitus quæ ſibi poſcit honos.*
Opto favens titulo tali frueare ſuperſtes.
Donec amat ſuaves Chloris *amœna* ROSAS.

MAVRITIO Languet
Amicorum meorum ocello.

QVi mihi miſſa placent, MAVRITI, carmina? (quæris:
His de, ſenſa meæ mentis aperta vide.
Diſplicet affectus ſine viribus; inq́, ſalebris
Non eo, ſi pedibus ſemita trita patet.
Nec libet herclè mihi Platonis *fingere* gibbum,
Erecto poſſum corpore quando gradi.
Vatibus at crebrò cerebri *dirumpitur AGGER:*
Et Pimplæus *aquâ commaculatur AGER.*

Ad eundem.

T*Euto mane* Languet: *Nomen metagrammate*
Languet:
Langueat aſt Nomen: tu BONUS ESTO DIU.

Nuptijs
M. VITI JÄGERI,
Conrect. Schleuſing. &
MARGARETÆ Franckenbergerin
Virginis Schleuſing.

P*Ol catus es* Jäger; *nec ineptus tendere caſſes;*
Hîc, ubi præda latet congrua, rete patet.
In FRANCVM-MONTEM te veſpertinus agebas,
Exardens glabram conſtituiſſe FERAM.
Manè ſub aurorâ revenis, tecumq́, ſagaces
Naribus, adproperant Leppas & Ocypedes.

Stat

Stat plaga: *praſtò* FERA *eſt: hinc tu* cornu *acriter*
Par catulûm latrans arripit ore Feram. *(inflas:*
Acceleras cinctus venablo: *quid feriamnè?*
Inquis: Reſpondet Delia; parce precor.
Parcitur: ambíto collo deducitur intra
Limina: facta cicur, ducitur inq́; torum.
Cætera cantet Hymen: Venator *&* *Inclita* Præda
Noctes & degant ſuaviter uſq́; dies.

Nuptijs
PAVLI VOLCCII,
Hilperh. Franci,
&
ANNÆ Lenzin
Viduæ Magdeb.

F*Rancidos aufugit* FALCO *de climate, Prædam*
Quod ſibi ſperatam ſæva negaret hyems.
Saxoniamq́; *petens rectà plaudentibus alis;*
Virgineâ *laſſus ſiſtit in* arce *pedem.*
Temperat hîc lucem noctemq́; ſalubrior aër
Præbet ei VERIS *perpetuumq́; decus.*
Hîc VER, Falco *refert, ridet mihi: compare fulto*
Hoc in Vere mihi nidificare *lubet.*
Hoc in Vere quies mihi parta perenniter; hoc &
In nido ſobolem *progenerare licet.*
Viſus & auris obit dum talia; Protinùs opto,
Vt bene Falco *tibi, ſit bene* VERq́; *tibi.*
Conſere VER *igitur,* FALCO, *vernante ſub æſtu;*
Hinc quid ut Auctumno frugis *habere queas.*

Ad

Ad M. MICHAELEM SELDIUM.

SI *res* alba, albam *dicis mihi, candide SELDI:*
Si res nigra, nigram dicis eamq́; mihi.
Abſit amicitiæ fucus, deterrima peſtis:
CANDOR amicitiam fovit & uſq; fovet.

Ænigma in Nuptias

PAULI GRAMSII, & ANNÆ Weiſſin:

C*ORV*, OLORq́; ſacrum ſatagunt decernere fœdus:*
Cycnus *ait, nimio CORVE colore nigres:*
Corvus *ait, nimiter candes albedine: plumas*
Da mihi quæſo tuas, do tibi, Cycne, *meas.*
Dictum RES ſequitur: commutant de-vice pennas:
Non niger eſt CORVUS, nec magis albus OLOR.
Ambo colore pares & amore volant, revolantq́;:
CORVUS OLORq́; pari vivat amore, precor.

Ad eundem.

SChnetter, Eberlinus, Sibeliſtus *adeſſe vocantur*
Tædis, PAULE, tuis: Nullus adeſſe poteſt.
Hoccinè fraternũ? *quid? an hoccinè fertur* amicum?
Hem! prohibet tempus *plurima: multa* locus.

Nuptijs

ANTONII SUENCI, Paſtoris Neubrunnenſ.

&KUNI-

STEPHANI SIBENLISTI
&
KUNIGUDÆ SUENCIÆ
Virginis Eisfeld.

Eſt Paræmia trita, veritati
Et confinis; amore ſucculentam
VXOREM quod habens & ore pulcram,
Victûs dimidium pereſcat inde.
Dic verum mihi, SVENCE, qui venuſtam
Vxoris ſapidâ fruens patellâ,
Feſtum quotidiè paras Cytheræ;
An latrans ſtomachus ſatur fit inde?
Si, quod vulgus ait, prehendo verum,
Quamprimùm mihi maximè decoram
Vxorem (modò det fidem) ligabo:
Vt ſic in graviore caritate
Annonæ, facili fruar paratu
Victûs: intereà, Deo favente
Tu cum compare, Suence, Suencianâ,
Salve, vive, vige, vale ſuperſtes.

WILHELMO ZEILFELDERO,
Diacono Peſnicenſi; &
KUNIGUNDÆ Freytägin/
Neogamicis.

Qvi, Wilhelme, parare vim ſibi vult,
Uxorem ſibi comparetq́ navim,
Et curæ ſat habebit & negotI,
Pertæſus placidi videris ocI,
Quod Phœbus ſtatuit tuis Camœnis,
Dum vitæ comitem, toriq́ poſcens

Accerſis tibi vim moleſtiarum,
Accerſis graviumq́; vim laborum.
Aſt qui non poterit,*refers*,precari,
Uxorem ſibi ducat, aut feroci
Se dedat pelago, *ſciet precari.*
Quò devotius ergò vota fundas,
Quæsîſti comitem tori, precumq́;.
Pol *factum bene! Sic potentiori*
Niſu Dæmonis impetûs repelles;
Sic divina TRIAS *tibi, tuæq́;*
Conſorti, precibus coacta, promtè
Victum *ſuppeditabit atq;* amictum,
Sic corpus vegetabit atq; mentem.

SEBASTIANO SIEGLERO,
Hilp. Fr. Magdeburg. Lectori
Canonico.

M*E ſalvere jubes,* SEBASTE; *rurſùs*
Clarâ voce mihi, SEBASTE, *ſalve!*
Quid me de Patriâ *mones? paternis*
Quid me de Laribus mones? quid & me
De Natalitijs *mones canendis?*
De Caſeóq́; quid admones? ſub umbrâ
Quô noris? oculum *catus petebas?*
Novi cuncta memor, mihiq́; riſûs
Crebros incutit: aſt is ominoſus
Pol jactus fuit & levis! Quamobrem?
Ambos nempè ferire debuiſſes
Oclos: *Sic potuiſſet haud videre,*
Quod palmis *placuiſſet incitatis.*

In Album
JOACHIMI TRANCEI,
Scrundâ-Curlandi.

QVid, Trancée, *meum NOMEN depoſcis in ALBVM?*
En DEXTRAM libro prodigus addo meam.
Nomine cum dextraq́, FIDEM ſuperaddo perennem:
DISTICHA quam ſat bis bina ſuperq́, probent.
Si quid adhuc dubitas de me; COR accipe noſtrum;
Vnde tibi perpes progeneretur AMOR.
A FRANCO tibi ſufficiant, Trancée, *poëtâ*
NOMEN, DEXTRA, FIDES, DISTICHA, COR & AMOR.

PAVLO VOLCCIO,
Hilperh. Fr. Amico meo veteri.

ÆTAS una tibi mecum, cultiſſime VOLCCI:
Quæ mihi, MENS eadem claret aperta tibi.
Nos & ab unguiculis STVDIûM calor unus & idem
Fovit: & Hilperti, *PATRIA noſtra,* Domus.
CANDOR, avis mundo rariſſima, candet utriq;:
Addo, quod inter nos mutuus ardet AMOR.
Ecquis Amicitiam tollet; *Nos quando coarctat*
ÆTAS, MENS, STVDIVM, PATRIA, CANDOR, AMOR.

In Na-

In Natalem
ERNESTI de SCHAUMBERGA;
Equitis Franci generoſi
&
BURGVOGDIO
in Rauenſtein.

QVid tibi, ſemideûm ſanguis generoſe Parentum,
In natalitiâ luce vovere libet?
Scilicet ex adyto cordis pia vota ciebo;
Vota, quibus vitæ ſtamina longa *precor.*
Numinis auſpicio te LVX hæc ſoſpitet, & te
Viribus integrum, cœlitùs imbre beet.
Sic inter Schaumbergiadas, *ERNESTE, ſuperſtes*
Vive DECVS generi, *vive DECVSq́; Deo.*

In Symbolum
SAMUELIS LATOCHI,
P. L. & Theologi:
quod eſt,
ET DEUS ET CÆSAR.

ET DEUS & CÆSAR *curæ tibi ſunto, LATOCHI:*
Cæſaris *atque* Dei *tu quia cura clues.*
Cæſari *dasq́;* Deo, *quæ danda putantur utriq;:*
Cæſara *visq́;* Deum *dona referre tibi.*

O Deus & Cæſar *date munera! Dantur ab illo*
Aſtra Deo: *ſed ab hoc* Cæſare *ſerta Daphnes.*
Omnes per caſus *tibi ſervit* uterq;, *LATOCHI:*
In quovis caſu *fac ut utrumq; colas.*

Aliter.

E*T DEVS & CÆSAR rerum moderantur habe-*
Hic in terrarum ſede; ſed ille poli. *(nas;*
Quàm benè, quàm ſcitè facis; in tua Symbola *jungis*
Qui caput *in* terrâ, *qui caput inq;* polo.

Ex Anacreonte Iul. Cæſaris Scalig.

Ad

ELIAM FULICANUM,

Poligraphum Rodag

A*VIA ſunt quatuor: quatuor ſunt INVIA: nec non*
Obvia ſunt quatuor: ſunt quatuor LEVIA.
Avia *MENS, ANIMVS nimis* avius; *eſt & OCEL-*
Avius, *eſt reſonans* avius *atq; SONVS.* *(LVS*
Invia *ſat PIETAS, ſatis* invia *PANTHEA vadit:*
Invia *nonnè QVIES?* invia *nonnè* FIDES?
Eſt levis *IRA*; *METVS* levis; *immò* leviſſimus *bic*
SPES levis *eſt, & PAX non* levitate *caret.* *(eſt*
Obvius *eſt BACCHVS, petulanti ponè ſequuntur*
Obvia *triga gradu, MVSA, CVPIDO, VENVS.*
E quater his quatuor, Comites *mihi quinq; gregatim*
MVSA, QVIES, PIETAS, PAXq; FIDESq; placēt.

In diem Natalitium

M. MICHAELIS SELDII,

Diaconi Eisfeld.

Amici

Amici mei animitùs cari.

EXtulit OS ſacrum ſacra Lux MICHAELIS
Diſpulit & lato nubila quæq; polo. (*Olympo;*
Quid nî, Pars animæ,*mi SELDI,*maxima, *Lux hac*
Abſtergat lacrymas cordis ab arce tuas?
Sat luctûs, ſatis & lacrimarum, ſatq́; querelæ
Exhauſit viduæ mentis anhelus amor.
En nova LVX ſignanda redit meliore lapillo,
Natalisq; *tui feſta vigore beat.*
(*Feſta, quibus frueris non SOLVS ut antè, fruiſcis*
Sed quibus exultat CORDIS alumna tui.)
O ſacra LVX ſalve! *quantum mœroris abarces,*
Et contra quantâ gaudia mole refers?
Quid tibi, quid circumfuſo lætaminis aurâ
Ergo feram? votis turgida metra *feram.*
Sit felix exorta tibi matuta *diei:*
Exeat atq; tumens tota SALVTE dies.
Immò per hunc mactet te IOVA ſalutifer annum,
Vt rediens vigeat CONIVGE-PROLE, dies.
Sic ſatis: Aligero cœtu ſtipatus ubiq;,
Det tibi Natalem ſæpè videre queas.

In obitum
Pijſſimæ Matronæ
ELISABETHÆ Biſchoffin.

IMpetus infligat mortis quot vulnera nobis,
Dum noſtros aufert, edocet ipſa dies.
Iam proſtratus Avus *vi mortis, jamq́;* Parentes
Iam Soboles, *& jam* Frater, *obitq́;* Soror.

Et magis illa dolent crudelia vulnera, nobis
Si qua vel à cordis proximitate dolent.
Temporis at lenit talem medicina *dolorem*
Obducens callo vulnera, cruda priùs.
Heu dolor hic quantus! ſi cui de corpore COSTAM
Eripit illa trucis vis truculenta necis?
QVANTVS ſit, ſentis Abrahame, *recente gemiſcens*
Vulnere, dum coſtâ te necis orbat acor.
Quis cataplaſma *proin lateri ſupponet aperto,*
Deliniturum grande doloris ONVS.
Non homo: ſubſtituet coſtam *ſed IOVA* novellam;
Intereà fer, quæ ferre IEHOVA jubet.

Propempticon
MAVRITIO Sanguu
&
JOHANNI GREUCHOFIO,
Eisfeldiâ ad Muſas Salanas
remeantibus.

P*Ar Heliconis amor, MAVRITI, tuq́; IOHAN-*
Vos, clam me, juvat hinc inſtituiſſe fugam? (NES,
Siccinè jam GLACIALIS HVMVS ſordeſcit utriq́;?
Inq́; hac Heptadolus *ſordet? abite! ſino.*
Ite, prout mens eſt, veteresq́; reviſite Muſas,
Ac ibi mellifluis ora rigate vadis.
Ite, ſed abſq; meo non ite precamine; vobis
Adſit in ingreſſu protinus alma phalanx.
Inq́; viâ vos, inq́; SALA, quò tenditis, aurâ
In ſtudijs diâ ſoſpitet Una Trias.

Nuptijs

Nuptijs
M. SEBASTIANI ABESSERI,
Diaconi Schleuſing. &
MARGARETÆ Zehnerin/
Virginis Schleuſing.

C*ERnuus intrabas,animo,qui* languidus,*hinc &*
Inde tuo quærens anxius ANTIDOTVM.
Inveniebatur,quod quærebatur humi, *tunc:*
Sed non hæc animo res erat apta tuo.
Erigis hinc faciem, cœlumq́; tuêris; Egeno
Unde bonum omne venit, *pharmacon inde pe-*
Audit & exaudit tua vota precesq́; IEHOVAH; *(tis.*
Dona dat & votis vel potiora tuis!
Pharmacon *optabas,quærebas* pharmacon: *Ecce!*
MARGARIN è cœli dat tibi IOVA throno.
MARGARIS hæc gemmis pręſtantior *omnib⁹*; *herclè*
Vim miram,*ſi de corde ligatur,habet.*
Quicquid olet,quicquidq́; dolet,depellit ab imo
Pectoris,& recreat vi penetrante fibras.
MARGARIN,Abbeſſère *tibi devotiùs ergò*
Grator,ut oblectet cor,animumq́; tuum.
Non quid acetoſi *dirumpat Margarin à te*
Te nec ab ipſius pellat amore malum:
Copula vos inter (ſoboles)*dum ſurgat Amoris,*
Vnio MARGRETÆ ſis,ſit & illa *tibi.*

Ad eundem Jocus.

E*Surit ABBESSER*; decimas *ſibi colligit intra*
Horrea, quò poſſit mox relevare famem.

Ad NICOLAUM SUENCIUM,
Diac. Eisfeld.
De Obitu Filiolæ.

QVInta DIes FebrVI te proLe beaVIt; & ILLa
LVX qVoqVe te CaſſatproLe: VIDesnè VI-
Suence, *vides, ſentisq́: potens cenſura Iehovæ* (Ces?
Sic agit, & miſcet gaudia triſtitiæ.
Triſtia fer: lætumq́; feres. Nam nemo favonI
Laudabit flatum, quem minus uſſit hyems.

ACROSTICHIS in Natalitium diem
HEINRICI GROSCHII,
Præfecti Schaumbergiaci in
Rauenſtein.

HEINRICI *natale jubar comparet ab ortu,*
E *t te jam* memorem Nominis *eſſe jubet.*
N *omen id acquirit, quo te Baptiſma beavit,*
R *umpat ut ex animo, quæ dolet, anxietas.*
I *n requie Genio* ſacra Lux *hæc ſerviat, omnis*
C *ura per Oceanum naviget* Anticyras.
V *t te lætitiâ geminante proindè reſolvas,*
S *uggerit* Uxoris lux *tibi materiem.*
M *ARGARIS eſt gemmæ nomen, tua Margaris*
A *ptat Natali* craſtina feſta *ſuo.* (*Vxor,*
R *es bona: Concordes qui corpora cordaq́; jungunt,*
G *audent ut faſtis nomina juncta legant.*
A *lter ut alterius quarè requieſcat AMORE,*
R *es & Nomen uti poſtulat, uſq; precor.*
I *mmò favor IOVÆ triplicis vos Neſtoris ævo*
S *oſpitet, ut ſalvi vivat* uterq; *diu.*

Natali

Natali
JOHANNIS LATERMANI,
Præfecti Eiſfeldiæ circum-
ſpectiſſimi.

QVàm bene conveniant interdum nomina rebus,
Latermane,*tuum nomen utrumq́ probat.*
IOHANNES redolet Charites: *tibi* gratia *nomen*
Ergo dat: hoc iterat Lux hodierna ſacrum.
Sed quis Johannes*fuerit ſacra pagina monſtrat,*
Nempe quòd haud ſiceram *nullaq́* vina *bibit.*
Illecebris nec tu vini,ſiceræve *gravaris,*
Sobrior *ad munus ſis, ut easq́ tuum.*
Quàm bene præterea quadrat cognominis omen,
Vir *cum* laternæ *proprietate clues.*
Dux etenim laterna *viæ: tu norma popelli*
Dignam prælaces teq́ aliisq́ facem.
Perge bonis igitur bonus impertire favorem:
Depluet in te ſic dius *ab axe* favor.
Et LATERNA bonis tua praeat obvia: ſic &
Natalis radios ſæpe videbis ovans.

Nuptiis
M. BALTHASARI BERTSCHII,
Coburgenſ. Mathematici:
&
WALPURGIS Hoffmännin
Viduæ.

QVo flammæ raperis ſubito nimis impete,
Bertſchi,
Sis ut in annona jam gravitate PROCVS?

Nec te deterret borealis atrocia Cauri:
*Ver magis eſt aptum,molle calore,*Cypri.
Scilicet hoc ideò: tibi præſtò ſit VXOR ut olim;
Vilius annonæ quando paratur opus.
Scilicet hoc ideò: quò ſit tibi ſuavior VXOR,
Quæ foveat gelidum plena calore latus.
Addo, dimidium victûs *quod* Fœmina *fertur:*
Fœmina ſed facie quæ probiore nitet.
Laudo Propoſitum *BERTSCHI; non frigora,nec te*
Annonæ gravitas fórs ab amore trahant.
Annuat ergo tuis Deus almus *ab æthere tædis,*
Dans tua nectareo ſtillet ut imbre Domus.
Sic tibi poſt annos Percarum turba puſilla;
Sic tibi piſciculis *menſa ſit aucta precor.*

In Magiſterium
JOHANNIS FABRI, Hilp. Fr.
Amici mei optimi.

A*Bſit mollities viſuro* Palladis arva,
Vnde venit VIRTVS,unde petitus honos.
Amphitryoniadæ, *curſu ſed grandiat,inſtar,*
Cùm veniente die,tùm fugiente, gradûs:
Donec contigerit ſurgendo palatia metæ:
Laus ubi,virtutes,fama,decusq́, vigent.
Nunc exantlatis, FABER, ergo laboribus adſtans
Planitiem metæ dignus honore ſubis.
Ecce Novenſilium ſubeunti præmia! *cingit*
Mitra *caput,*rutilans *articulosq́,* lapis.
*Nomine mactaris,*Sophies *audisq́, MAGISTER,*
Non quales celebrat nomen inane Sophos.

Hu

Hîs addam titulis quid ego? Nil: attamen addo
Vota; *requiſitus quæ ſibi poſcit honos.*
Opto favens titulo tali frueare ſuperſtes.
Donec amat ſuaves Chloris *amœna* ROSAS.

MAVRITIO Languet
Amicorum meorum ocello.

Qvi mihi miſſa placent, MAVRITI, carmina? quæris:
His de,ſenſa meæ mentis aperta vide.
Diſplicet affectus ſine viribus; inq́, ſalebris
Non eo, ſi pedibus ſemita trita patet.
Nec libet herclè mihi Platonis *fingere* gibbum,
Erecto poſſum corpore quando gradi.
Vatibus at crebrò cêrebri *dirumpitur AGGER:*
Et Pimplæus *aquâ commaculatur AGER.*

Ad eundem.

Teuto mane Languet: *Nomen metagrammate*
Languet:
Langueat aſt Nomen: tu BONUS ESTO DIU.

Nuptijs
M. VITI JÄGERI,
Conrect. Schleuſing. &
MARGARETÆ Franckenbergerin
Virginis Schleuſing.

Pol catus es Jäger; *nec ineptus tendere caſſes;*
Hîc,ubi præda latet congrua,rete patet.
In FRANCUM-MONTEM te veſpertinus agebas,
Exardens glabram conſtituiſſe FERAM.
Manè ſub aurorâ revenis,tecumq́, ſagaces
Naribus,adproperant Leppas & Ocypedes.

Stat plaga: *praſtò* FERA *eſt: hinc tu* cornu *acriter* (*inflas:*
Par catulûm latrans arripit ore Feram.
Acceleras cinctus venablo: *quid feriamnè?*
Inquis: Reſpondet Delia; parce precor.
Parcitur: ambíto collo deducitur intra
Limina: facta cicur, ducitur inq́; torum.
Cætera cantet Hymen: Venator *& Inclita* Præda
Noctes & degant ſuaviter uſq; dies.

Nuptijs
PAVLI VOLCCII,
Hilperh. Franci,
&
ANNÆ Lentzin
Viduæ Magdeb.

F*Rancidos aufugit* FALCO *de climate, Prædam*
Quod ſibi ſperatam ſæva negaret hyems.
Saxoniamq́; *petens rectà plaudentibus alis;*
Virgineâ *laſſus ſiſtit in* arce *pedem.*
Temperat hîc lucem noctemq́; ſalubrior aër
Prabet ei VERIS *perpetuumq́; decus.*
Hîc VER, Falco *refert, ridet mihi: compare fulto*
Hoc in Vere mihi nidificare *lubet.*
Hoc in Vere quies mihi parta perenniter; hoc &
In nido ſobolem *progenetare licet.*
Viſus & auris obit dum talia; Protinùs opto,
Vt bene Falco *tibi, ſit bene* VERq́; *tibi.*
Conſere VER *igitur,* FALCO, *vernante ſub aſtu;*
Hinc quid ut Auctumno frugis *habere queas.*

Ad M. MICHAELEM SELDIUM.

SI *res* alba, albam *dicis mihi, candide* SELDI:
Si res nigra, nigram dicis eamq́; mihi.
Abſit amicitiæ fucus, deterrima peſtis:
CANDOR amicitiam fovit & uſq; fovet.

Ænigma in Nuptias
PAULI GRAMSII, & ANNÆ Weiſſin:

C*ORV⁹, OLORq́; ſacrum ſatagunt decernere fœdus:*
Cycnus *ait, nimio CORVE colore nigres:*
Corvus *ait, nimiter candes albedine: plumas*
Da mihi quæſo tuas, do tibi, Cycne, *meas.*
Dictum RES ſequitur: commutant de-vice pennas:
Non niger eſt CORVVS, nec magis albus OLOR.
Ambo colore pares & amore volant, revolantq́;:
CORVVS OLORq́; pari vivat amore, precor.

Ad eundem.

SChnetter, Eberlinus, Sibeliſtus *adeſſe vocantur*
Tædis, PAVLE, tuis: Nullus adeſſe poteſt.
Hoccinè fraternũ? *quid? an hoccinè fertur* amicum?
Hem! prohibet tempus *plurima: multa* locus.

Nuptijs
ANTONII SUENCI, Paſtoris Neubrunnenſ.

&KUNI-

&
KUNIGUDÆ SUENCIÆ,
Virginis Eisfeld.

EST Paræmia *trita, veritati*
Et confinis; amore ſucculentam
VXOREM quod habens & ore pulcram,
Victûs dimidium *peteſcat inde.*
Dic verum mihi, SVENCE, qui venuſtam
Vxoris ſapidâ fruens patellâ,
Feſtum *quotidiè paras* Cythéræ;
An latrans ſtomachus ſatur fit inde?
Si, quod vulgus *ait, prehendo verum,*
Quamprimùm mihi maximè decoram
Vxorem (modò det fidem) ligabo:
Vt ſic in graviore caritate
Annonæ, *facili fruar paratu*
Victûs: intereà, Deo favente
Tu cum compare, Suence, Suencianâ,
Salve, vive, vige, vale ſuperſtes.

WILHELMO ZEILFELDERO,
Diacono Peſnicenſi; &
KUNIGUNDÆ Freytägin/
Neogamicis.

QVi, Wilhelme, *parare vim ſibi vult,*
Uxorem *ſibi comparetq́;* navim,
Et curæ ſat habebit & negotI,
Pertæſus placidi videris ocI,
Quod Phœbus ſtatuit tuis Camœnis,
Dum vitæ comitem, *toriq́; poſcens*

Accerſis

Accerſis tibi vim moleſtiarum,
Accerſis graviumq́; vim laborum.
Aſt qui non poterit, *refers*, precari,
Uxorem ſibi ducat, aut feroci
Se dedat pelago, *ſciet precari.*
Quò devotius ergò vota fundas,
Quæſiſti comitem tori, precumq́;.
Pol *factum bene! Sic potentiori*
Niſu Dæmonis impetûs repelles;
Sic divina TRIAS tibi, tuæq́;
Conſorti, precibus coacta, promtè
Victum *ſuppeditabit atq;* amictum,
Sic corpus vegetabit atq; mentem.

SEBASTIANO SIEGLERO,
Hilp. Fr. Magdeburg. Lectori
Canonico.

M*E ſalvere jubes, SEBASTE; rurſùs*
Clarâ voce mihi, SEBASTE, ſalve!
Quid me de Patriâ *mones? paternis*
Quid me de Laribus mones? quid & me
De Natalitijs *mones canendis?*
De Caſeôq́; quid admones? ſub umbrâ
Quô noris? oculum *catus petebas?*
Novi cuncta memor, mihiq́; riſûs
Crebros incutit: aſt is ominoſus
Pol jactus fuit & levis! Quamobrem?
Ambos nempè ferire debuiſſes
Oclos: *Sic potuiſſet haud videre,*
Quod palmis *placuiſſet incitatis.*

Quæſijt, invenitq́;: Medens *dum conſpicit* ictum;
Eſt HERBâ tibimet protinus, inquit, opus.
Ocyus ac HERBAM languenti porgit AMARAM:
Quam nexam collo, more decente, gerat.
Arripit hanc *juvenis, cupidiſſimus inde Salutis,*
Atq; AMULETI *perpetis inſtar amat.*

CONSILIUM
Ad eundem.

N*Empè tibi perquàm cupido licet eſſe Salutis;*
Sed ne, Mauriti, *transgrediare* modum.
Aggreſſus curam, mediocriter utere curâ;
Ne nimium *vires corporis imminuat.*
HERBAM, quam Medicus dedit, accipe, cautus eâq́;
Vtere: ſed modicè, ceu medicina jubet.
In pariles partire doſes medicamen: & inde
Veſpere *ſume parùm*, maneq́; *ſume parum.*
Succeſſu facili, ſic vultu pallor abibit:
Et Medico *grates, &* mihi *ſemper ages.*

Ad
M. WOLFGANGUM LATERMANUM Quedlinburg. Rectorem Scholæ Eisfeldenſis novellum.

N*Vnc in Grammaticis ubi, LATERMANE, libellis*
Morer, rogas? in verbis hæreo miſer:
ACTIVVM flexi: PASSIVVM conjugo; fixus
In paſſione vel totum decennium.
NEVTRVM præterij numquàm: COMMVNE tuliq́;
Quod accidiſſe Præceptoribus ſolet.

DEPONENS adij tandem: DEPONOR: & ipſe
Depono ſic à me moleſtias Scholæ:
Absq; nec Exemplu hoc ſit: pro tempore namq; (gravem.
PRECOR DEUM; PATIORq; INIURIAM

IN COTHURNUM.

ASTris *interdum me ſummâ laude coæquas;*
Me quoq; culpando rurſus ad Orcon *agis.*
Frigidus *an* calidus *ſis, haud diſpeſco, COTHURNE:*
Hoc ſcio, Candoris nil cute ſubter habes.
Elogium de me non curo laude carentis:
Namq; à laudatis *expeto laude vehi.*
At quod me tacitum *defers nec tale merentem,*
Indignor! *quid tum?* deſine temporiùs.
Aut tibi mentito Pavonem *evulſero plumas,*
Te nudum ut reliquæ ludificentur aves.
Hinc ſi non plumis ſpoliabere, quæſo Poëtis
Parce; vetus gnomon *idſce: quod illud?* habe.
MAGNA fuit quondam Clarij reverentia VATIS,
Inq; ſuo precio DIGNA POESIS erat.

Tumulus
MARTINI SIEBENLISTII,
Civis Hilperh. integerrimi & optimi,
PATRIS MEI
Ut cariſſimi ita & deſideratiſſimi.

M*ARTINUS SIBELIST* (qui tranſis quærere
Hîc cubat in gelidâ, mòrte ſolut⁹, humo. (noli)
Vir bonus atq; pius, ſexagenarius; & Vir
Candidus in verâ ſimplicitate fuit.

*Ito,*bonos *inquire: Boni virtutis amore*
Non ſecus huncce queunt, quàm perhibere BO-
*Ito,*malos *inquire:* Mali *virtute coacti* (NUM.
Non ſec' huncce queunt, quàm perhibere BONUM.
Hîc cubat ergo Bonûm punctis locupleſq́, Malorum
Vir candore bonus, ſimplicitate pius.

AGROSTICHIS
Natali, M. MICHAELIS SELDII,
ſacra.

M ICHAEL *ſuperi Chori ſupremus*
I dolum *ſtygij lacûs ſupremum,*
C *ordatus ſuperavit in duello:*
H *ujus nomen habes, habes & omen.*
A *ccinctus gladio proin,* MICHAEL,
E *ſto fortis & impetûs retunde*
L eonis Stygij *ſub orbe vivi.*
S *ic* Natale jubar *vigore fauſto*
E *Cœlo tibi centies reverſum,*
L *uceſcatq́, beetq́, te quotannis:*
D *eſpectos ſimul aſſeclas videbis*
I DOLI: *niteatq́,* CANDOR *ac Honeſtas:*
U *t fiat, tibi* Siebeliſtus *hiſcè*
S *eptem bis precor intimè* Phaleucis.

Tumulus
MARGARETÆ Siebenliſtin
Nicol. Siebenliſt/Filiolæ.

H *Ic cubat annorum-ſeſqui denata propages*
Siebenliſtiade, Matris amorq́, Patris.

Tolle pedem tumulo lacrimis undante Parentum:
Hinc etenim violæ, proveniuntq́; ROSÆ.
Si matureſcunt, decerpet IOVA fragrantes
In Paradiſiacum *tranſpoſiturus AGRVM.*
Quas inter, veluti viguit, rediviva *vigebit*
Margaris *inq́; ſolo,* Margaris *inq́; Polo.*

NEOGAMICIS,
Neſcio quibus.

HÆc tibi contingant, mihi quæ feliciter opto:
Tanta tibi votis ſpondeo, quanta mihi.
Cur tibi, quod CORDI *ſtatuo, non corde precarer?*
Bis capias igitur, quæ mihi ſimpla *precor.*

In Album
LAURENTII CONRADI.

SI bene quid facies, OCCASIO *ſit tibi curæ:*
Quâ malè deciſâ, facta videnda cadunt.
Hinc tua quæ ſperas non irrita facta, capillos
Oblatæ *manibus tange, prehende, tene.*

MAVRITIO SVO
ſanguet.

QVæris adhuc quid agam, MAVRITI? ſaxa Prometheî
Volvo; *nec affixus, quàm fuit ille, minus.*

EIDEM.

Hercle DIV BONVS *es! quin ſemper es* OPTIM⁹,
Qui mihi jurarunt fœdus amicitiæ. *(inter*

Votum
Ad M. JOHANNEM GLEICHMANUM,

Cùm

Cùm vicariatum Eisfeld. capeſſeret.

VIve diu; Spartam decora, Gleichmane: Salutem
Quære Gregis: laudem quære Deiq; Vale.

Ad NICOLAUM SUENCIUM, Diaconum Eisfeld.

De obitu Filioli JOHANNIS.

IAnVLVs en ſeXto MartIs tIbI naſCItVr Infans
En ſeXto SVenCCI, CæCaqVe fata sVbIt.
Quanta tuum catapulta ferit COR, quanta cerébrum;
Iam ſentit quartâ COR, cérebrumq; vice.
Tale videns ſtupeo, tibi condoleoq;: quod VXOR
Vix peperit, mox id devorat alvus humi.
Aſt tua non pereunt, quæ mortua pignora jam ſunt:
Luce ſub extremâ vivida reddet HUMUS.

Tumulus JACOBI KIRCHNERI Eisfeld. Fr. Collegæ mei cari.

SIſte, vide, perpende: Senex, juveniſq; Viator:
Vitæ, Lethi, Hominis: vim, monumenta, vices.
Hîc ego IACOBVS KIRCHNER (vix integra quinq;
Natus luſtra) cubo, ceſpite tectus humi.
Patria cara dedit cunas Eisfeldia, munus:
Conſumtoq; mihi tabe, ſepulcra dedit.
Hæc quicunq; vides, ſuſpiria funde: Prehendet
Si te non hodiè, cras tamen hora necis.

Textus cantilenæ
In felix novarum Ædium auſpicium,
FRIDERICI RITTERI
Præfecti Eisfeld.
à Melchiore Franco &c.
compoſitæ.

ÆDificando Domum fruſtrà *tua membra fatigas,*
Nî De⁹ admotam porrigat ipſe manum.
Ædificata Domus fruſtrà cuſtode repletur,
Nî Deus adſiſtat pervigil ante fores.
Hoc præſente, Domus fit tuta per omne periclum:
Hoc tuti Soboles, Vir, mulierq́; *manent.*
Hoc cuſtode, ſimul virtutis germina florent:
Aurea conſtantes PAX, PIETASq́, vigent.

In Cantilenas ſacras
BENEDICTI FABRI, Hilperh.Fr.
Muſici in Aula Saxo-Coburg.

D*Icitur inductâ quondam Rodopeius ORPHEVS*
Commoviſſe lyrâ, robora, ſaxa, feras.
Non tamen altithronum *potuit flexiſſe* Parentem;
Qui gaudet ſuavi laude, ſonoq́; vehi.
Tu melica, BENEDICTE, tibi dulcedine cantûs
Concilias Homines, conciliasq́; Deum.
Namq́; tui nuper poſtquam modulaminis auram
Audijt in ſuperâ ſede, coæva TRIAS:
Dixit; concentu *reſono qui* dulce Choreuma
Æmulus angelici *fundis ab ore* Chori,
Noſter es! in noſtros poſthac devotus honores,
Perge ciere pium voce chelyq́; Melos.

Perge

Perge pius ſacros igitur componere cantus:
Digna labore tuo, crede, brabeîa feres.
In terris Homines *meritò tua cantica laudent;*
Nec minus in cœlis comprobet illa Deus.

Ad
MAVRITIUM Sauguth M. C.
lugentem
Præmaturum obitum Filiolæ
ANASTASIÆ.

QUis caſusq́ graveîs hominum, triſteîsq́ ruinas,
MAVRITI, verbis commemorare poteſt?
Naſcitur udus homo, cum fletu, lucis in auras:
Cum fletu, nudus corpore, rurſus abit.
Non ætas, non forma, nec ulla potentia fatis
Obſiſtat: quando quisq́ vocatur, eat.
Sentis: at ſentis lamentans! deſerit ut te
FILIA, vix ſeptem nata decemq́ dies,
Filia legitimo prognata tenerrima lecto;
Quæ tibi ſpem Generis, ſpem Generiq́ dabat:
Inquio, ſpem Generis, quod ſola, quod unica quîſſet
Te Genero quondam Gnata beare Patrem.
Sed, viden? ut nimiùm citò nùbilis Illa potita eſt
Sponſo; quam Sponſus Chriſtus amavit, amat.
Hanc etenim ſecùm deduxit ad atria cœli,
Ad tædas ubi Nos convocat atq́ manet.
Pone modum lacrumis igitur cum Conjuge: Felix,
Cui ſocero Chriſtus diſcupit eſſe Gener.

Manibus beatiſſimis
JOHANNIS SIBENLISTII,
Fratris mei deſideratiſſimi.

IOHANNI Stephanus, *defuncto pono* ſuperſtes
Et fratri frater *hæc monumenta, meo.*
Hic meus in vitâ, meus ac in funere FRATER
Sibenliſtiades, *hac requieſcit humo.*
Primitijs imbutus erat ſeptemplicis artis:
Æmula pingebat grammata DEXTRA *typis.*
In probitate pius, juvenili flore venuſtus;
At dyſenteriâ *flebilis occubuit.*
Qui monumenta vides, à Fratre patentia FRATRI,
Ingeme; Dicq; ætas quælibet apta neci eſt.

In Effigiem
BVrChart SIgMVnD
à Roſenau:

T*Res natus menſes, ſex hebdomadasq,:* videndus
Sic erat ore: *ſed hunc* MORS *cita præripuit.*

Epitaphium
NICOLAI WOLFII,
Civis Eisfeld.

S*Iſte parùm, quicumq, venis ad buſta: Vocabar*
NICOLAVS VVOLFIUS: *Patria* Schleuſis
Kindiade Catharina *mihi ſex luſtra virago* (*erat.*
Servijt, ac obijt poſt ſine prole diem.
Annuus *hinc* viduus *vario diſcrimine preſſus,*
Et licet invitus, *buſta marita ſequor.*

In obitum
JOHANNIS GREBSII,
mei Diſcipuli.

VT tria luſtra videt vix & trieterida, IANVS
CREBSIVS ante diem, morte peremtus obit.
Si quem commendat PIETAS, reverentia ſi quem
In Præceptores, verus amorq; probat.
Obſequium ſi quem, ſi quem ſolertia jactat,
In ſtudijs, CREBSIVM jactitet hunc meritò!
Indolis egregiæ ſpem frugi præſtitit, inter
Æquales, artes quos coluiſſe juvat.
Sed Deus ex ludo poſuit trans *Huncce, Lycéum*
In cæleſte; aures præbet ubi uſq; LOGO.
Hujus ad exemplum conformans, ſynchrona, Pubes
Vitam; Diſce piè vivere, diſce mori.

Ad M. MICHAELEM
SELDIUM.

AD quartam, rogito, venerande Magiſter, *ut*
Ad me cœnatum, ſi vacat, Hoſpes *eas. (horam,*
Nil præter Léporem, *bene ſi cadit, atq;* lepórem
Invenies: Animus cætera fercla dabit.

Apologus
AD MAURITIUM Sanguet/
Med. Candidat.

INfectum ſcabie, multâ cum prole Parentem,
Divinus Pæon *vidit & indoluit.*
Ergo conſultum cupiens cum prole Parenti,
Ceu Panacen, *gratis porrigit ille NVCEM.*

Arripit æger, opem ſperans proliq́; ſibiq́;
In quatuor *partes diſſecat atq;* nucem.
Hinc cum culleolis, pradura putamina *Proli*
Atq; cicum *præbet, deijcit & NVCLEVM.*
Id ſpectans Medicus, quid, Stulte, *putamina tractas,*
Et dulcem nucleum perdis ineptus? ait.
Adplicito malè ſic medicamine, debilis eheu! (rens.
Languet adhuc Proles, languet adhucq; Pa-

Ad JOHANNEM HARTMANUM
Senat. Hilperh. Sponſ. ſecundum.
Diſtichon Latino-germanicum.

Elige, liba: immò ergò! ô te! unde
ero? vel tege, fallet:
Tu gentem, imæ ſtant: mœret,
in ære libet.

Hoc eſt:

Conjugialis amor JOVÆ, mundoq; probatur.
Conjugium virtus auget, honore & amat.

Aliud ejuſdem farinæ.
S. S. S.
Suis ipſius Nuptijs faciebat.

Interpres Davus *non* Oedipus *eſto: Tibi nam*
Teutonicum ſenſum verba latina dabunt.

Hei liger! unde liber? iſtam elige:
libo: egeo: ah det!
Denſi Gotthi, immò ergo evellet
iter: mane in ære.

Ænigma

Ænigma in Nuptias
JOHANNIS SCHRICCELII,
Scholæ Hilperhuſanæ Moderatoris,
ad Dn. Nuptiales.

APta *viget VESTIS pueris,nec* inepta *puellis,*
Auro nobilior, murice fulgidior.
Veſtis at hæc facilè maculis obnoxia fœdis,
Sparſa parùm yetitâ labe,repentè perit.
Si perit,haud umquàm reparabilis arte,paretur:
Vt maculata fuit,ſic maculata manet.
*Nomen huic veſti quod ſit,*Conviva,*rogatus*
Dic mihi: ſi dicis,Veſtis AMATOR eris.

De ſua ELISA.

I*Ngenio præſtat, præſtat pietate, pudore*
Præſtat; ſat formâ præſtat ELISA: ſatin?
Sat: modò ſi pignus par *mecum in amore foveret;*
Sed fovet: Ergò mei CORDIS ELISA CAPVT.

In Muſicam methodicam
ANDREÆ LUTZELBERGERI,
Cantoris Hilperhuſ.

L*Atos Oceanì velut reflexus,*
Vndis innumeris & auctiones
Vultu diſcupiens videre magnas,
Adſciſcat comites ſibímet Amnes:
Queîs tutus veniet patens ad æquor:
Sic artis melicæ ſonus canorus
Si te detineat, PVER, ſciendi
Et pectus ſtimulet tuum cupido;
LVTZELBERGERICAM VIAM, figuris

Expreſſam noviter capeſſe, gnarus
Parvo tempore MVSICÆ süavis
Non auditor eris; ſed ipſe vocem
Miſcebis modulatione voci.

NATALI
Valden Languets. *(omen?*

V *ALDE, DIV BONVS ES: quid nominis adſerit*
Es BONITATE valens, inq; valore BONVS.
Juro Jovem lapidem! Bonus *es*, Bonus *ergo va-*
Eſto diu: ſæpè hanc ſic tueare DIEM. *(lensq;*

Pauper & Locuples.

P *Vlſabat PAVPER* Locupletis *limina: verùm*
Audibat nemo, fruſtaq; nemo dabat.
Pauper abit, fidensq; redit poſt tempora; rurſus
Ac eadem *pulſat*, proxima *tangit item.*
Proſpiciens Locuples, *quid vis, ait*, improbe? *mene*
Temnis, & alterius poſcis egenus opem?
Nil dabo; nec dederit quid proximus: *Ergo* repul-
Defert, & ſecum triſtis EGENVS ait: (ſam
Si niſi, qui meruit benefactis atria cœli,
Nullus ad aſtra venit, nullus ad aſtra venit.

In ſibi Placentem & Arrogantem.

S I duodena *mibi SPARTAM conceſſerit* Hora:
Herclè det Uxorem tertia *deinde mibi.*
Aſt ego nòlo levem GRANDISq; GRAVISq; puellam;
Sed ſubeat thalamum moribus apta meis.
Sic mihi per SPARTAM, pulcram ſatis expeto MAR-
Si fuero SANVS, me minus arctet ANVS. (TAM:
Nempe

Nempe tumens gravitate, gravisq́; tumore, Puellam
Omnia per, ſimilem *conſociabo mihi.*

Ad ELISAM ſuam
Deſponſam.

E*Xcipis adventum noſtrum riſuq́; manuq́;*
Addis proq́; loco baſia grata genis.
Diſceſſum verò, qui fertur amantibus aſper,
Proſequeris lacrumâ, dulcis ELISA, *meum.*
Lacruma grata mihi, riſus, manus, oſcula grata:
Gratior *at* Facies, *ſemper,* ELISA, *tui eſt.*

LUSUS.
Ad ſuam ELISAM.

S S *duplex noſtrum; geminum ſed denotat* E, E,
Nomen, ELISA, *tuum: ſciſnè quid inde legam.*
Muta duplex mutum *me; ſed vocalis adaucta*
Te magè vocalem *forſitan eſſe jubet?*
Scilicet, ut GALLVS *taceat;* GALLINA *ſed inſtet*
Ad tædium GALLI *voce replere domum?*
Hem tibi vocali licet eſſe: licentius æquo,
Vti voce tuâ non licet: ergò cave.
Iure tuo, caveas, nimiùm vocaliter uti:
S vim namq; ſui litera juris habet.
Sis GALLINA*: at ego* GALLVS*: quia geſto* corol-
Hinc meritò primas GALLVS *in æde tenet.* (lam
Addo, quod & Gallus vates, *quia præcinit horas;*
Et quid ſeptuplicis calliditatis *habet.*
Ergo cede tuo, mea tu GALLINVLA GALLO;
Sic cum vocali muta ſat apta canet.

Pagus

PAGUS

In quo elegans Hoſpitium, ſed lacerum ſacellum.

F Ortè animi cauſâ viſens campumq́; nemusq́;,
Offendo Pagum *montis ad alta ſitum.*
Ingredior, Pagi ſpectans habitacla: ſacellum
Obtigit en lacerum; *grande ſed HOSPITIVM.*
Indignans animo, demiror & inquio: Major
Hîc ſit honos Baccho, *quàm ſit IOVA tibi.*

Quilibet ſuæ fortunæ faber eſt.

M Alleus *in manib⁹* Fabro *eſt, eſt cuilibet* incus:
Hinc ſibi FORTVNAM cudat, ut ipſe velit.

In Levillum.

V Aſa probaturus nova, non infundo ſalernum;
Sed laticem, *ne quid perfluat inde BONI.*
Hem tibi dicta joco, reticere LEVILLE, nequiſti:
Quid ſi? ſed rimis plenus es: ô taceam!
Si te conſpicerem frangentem ſcrinia Patris,
Et compilantem, quicquid is intus *habet*:
Non effutirem: *quia lex prohiberet AMORIS!*
Convenit haud inter NOS: tibi quære parem.

Imitatio Plautina.

V T *dulcis qui vult nuclei guſtare ſaporem,*
Teſtas infractæ frangat is antè, Nucis.
Sic & Muſarum fructûs *libare volentes,*
Immenſi ſubeant ante LABORIS ONVS.

In Ebrietatem.

PARODIA Tibulliana, lib. 1. Eleg. 6.

Semper ut inducar mihimet blandiris AMICA:
Poſt tamen inducto triſtis es EBRIETAS.
Quid tibi ſævitiæ mecum? num gloria forſan
Inſidias homini compoſuiſſe DEAM?

In ſemper adverſum.

Læſa repugnat ovis, *preſſus ſe* vermis *aduncat:*
Aſt ego *contemtum mente lubente feram?*

Accipe injuriam & age GRATIAS.

Accipe, quos infert atrox INIVRIA morſus:
Et grates flexo poplite gratus age.

AMATORI Bacchi Veneriſq;.

Si tibi, ſiq; tua vis conſuluiſſe SALVTI,
Eja VALE Baccho, dic Veneriq; VALE.

In cohabitatorum impatientes.

Gratior adventu diſceſſus: *amabò quid hoc eſt?*
Sunt quibus eſt podex gratior ac facies.

Stultus ſuper ova.

Si ſtultum *ſuper ova locas; immittitur HORTIS*
Auſter: apes fucis dantur, oveſq; lupo.

Vis Veris.

Tanta ſub occiduo *cum ſit recreatio Menti,*
VERE *ſub* æterno *quid fore, quæſò rear?*

Poli-

Polipragmoni.

Cur minus Vxorem ducam, num quæritur? audi:
In trivio verſans aure lupum teneo.

Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.

Sunt penſanda diu, *multumq́ bilance fideli,*
Quæ ſemel eveniant conſtituenda tibi.

Minimorum etiam invidia declinanda.

Invidiæ ſtimulos minimûm *declino paratus:*
Namq; Aquilæ *ut noceat vel* Scarabæus *avet.*

In φίλαυτον.

Qui tua ſola φίλαυτε, probas, alienaq́ temnis,
Te ſine RIVALI ſuſpicioſus amas.

Qui neſcit ſimulare, neſcit imperare.

Diſce prius ſimulare; dein tua ſceptra *vibrato:*
Imperet ille minus, qui ſimulare nequit.

Calvus Calumniator ſalſè notatus.

A Calvo quondam convicI fulmine læſus
Diogenes dixit: non pare par referam.
Nec te proſcindam probris: ſed laudo capillos,
Quod deforme *tuum deſeruére* caput.

Malum

Malum Conſilium conſultori
peſſimum.

Implicitum vidi pedicis, quas ſtruxerat antè,
Alterius triſti ſubdolus exitio.
Sic HAMAN ſubiit fractâ cervice patiblum,
Quod MARDACHAIO ſe fabricaſſe putat.

Curioſis.

Quæritis,unde mihi potuſq; cibuſq; paretur?
Me DEVS & MVSÆ convenienter alunt.

APPENDIX CHRONODI-
STICHORVM.

STEPHANI SIBENLISTII
Hilperhûſ. Franci.

EGIDIUS HUNNIUS
SS. Theol. D. moritur Vitebergæ, 5. April.
Anno M. D. C III.

QVIntVs ApriLIs VtI rVTILo fVLgebat ab aXe;
HVnnIVs é saCro CoDICe DoCtor obIt.

Nicolaus Kindus
S S. Theol. D. Paſtor & Superintendens Eisfeld. beatum efflat animam, 1. Octobr.
Anno 1549.

NICoLaos CInDVs DoCtor per fata sVbIVIt;
InſIt Vt OCtobrIs LVX noVa terrIgenIs.

O Juſtus

Juſtus Jonas SS. Theologiæ D. Paſtor & Superintend. Eisfeld. Naturæ debitum ſolvit 9 Octobr. Anno
1555.

Vt IVſtVs Ionas DoCtor VaLeDIXerat aVræ;
OCtobrIs faCIes nona sVb aXe CaLet.

M. Wolfgangus Wachtel
Paſtor & Superintendens Eisfeld. expiravit, 15. Januarij. Anno
1561.

WoLfgangVs WaChteL LInqVIt ſpIraCVLa VItæ;
ProDIt VtI IanI qVInCta ter ipſa DIes.

M. Nicolaus Bohemus
Paſtor & Superintend. Eisfeld. diem obiit Calend. 9. Novembris Anno
1563.

FInIs Vt OCtobrIs ſaCVLas eXtIingVIt In aXe;
NICoLaVs BœMVs Lege soLVtVs obIt.

M. Georgius Seitzius
Paſtor & Superintend. Eisfeld. obdormivit; 10. Novembris Anno
1596.

FaX bIs qVInCta NoVeMbrIs Vt orta GeorgIos ILLe
SeItzIVs, In LethI CarCere VICtor obIt.

Wil-

Wilhelmus Schmiedt Hilperhuſanus, Vicarius Eisfeldiæ, vitam cum morte commutat, 10. Julij. Anno 1601.

GVILbeLMo Fabro VItaLIs ſpIrItVs eXIt; ECCe! bIs Vt IVLI qVInta CaLore nItet.

M. Johannes Tittelius. Subſtitutus Eisfeld. Superintendentiæ exhalat animam 23. Novembr. Anno 1594.

Ter ſeXtâ qVInCtaqVe poLIs LVCEnte noVeMbrIs; Jannes TItteLIVs CeſſIt In antra neCIs.

M. Balthaſar Richter Paſtor & Superintend. Eisfeld. denaſcitur 10. Maij Anno 1607.

LVCe bIs oCtaVâ MaII rVtILante sVb aXe; eſt BaLthaſarVs RIChter fIXVs ab enſe neCIs.

M. Stephanus Morlinus Paſtor & Adjunct. Hilperhuſ. Vitâ defungitur 10. Quntil. Anno 1604.

BIs qVInCtVs IVnI CLarè nItet æthre CorVſCô; MorLInVs LethI Vt VI sVperatVs obIt.

O 2 Con-

Conradus Feuſtlingius
Præfectus Sonnefeldenſis mortem obit.
26 Maij, Anno 1604.
SeXta qVater MaII bIs & Vna renIDet Vt or-
E VIta FeVſtLIng trIſtIa fata sVbIt. (tV;

Maria
Volcmari Schereri J. C. & Cancell. S. Cob.
Vxor oppetit 5. Septemb, Anno 1604.
Conſtat ab AVgVſto ſaX qVInta:pIIſsIMa ConIVX
Vt CanCeLLarI transIt In aſtra poLI.

Barbara
Georgij Eyſenſchmids Uxor obit.
Vt ter nona DIes OCtobrIs & Vna VIgeſCIt:
EXVIta CVpIDè Barbara CLaVſtraCVpIt.

Jan-Chriſtophorus ab Hesbergâ Nobilis
Puer extinguitur. (*LethI.*
LVX bIs quInCta LIqVet SepteMbrIs ab æthere:
Vt Ian-ChrIſtophorVs faLCe soLVtVs obIt.

Agnes von Schaumbergk &c. ex hac
emigrat vitâ.
Vt IanI ter nona DIes atqVe Vna reLVXIt:
Agnes aVet ſæVæ MortIs InIre VIas.

Obitus
Chriſtophori Philippi ab Heſpergâ Equ. Fr.
Antra PhILIppe,neCIs sVbIIſtI,CretVs ab Heſperg;
LVX VbI SepteMbrIs qVInCta sVb aXe CaLet.
Obi-

Obitus
Eraſmi Crauſeri L L. Cand. etc.
QVInCta nItet faCIes FebrVI; CraVſerVs ErasMVs
Vt trIſtI CVLtro tVrpIter ICtVs obIt.

Obitus
Friderici Ritteri Præfecti Eisfeld.
LVX VnDena bIs Vt IVnII sVper orbe CorVsCat:
FrIDrICVs RItter peCtore CaſsVs obIt.

Obitus
Vxoris Leopoldianæ
Jn neCe LeIpoLDI ConIVX QVæſtorIs obI-
Vt LVX AnDreæ CLaret ab áXe poLI. (bat.

Obitus
Dorotheæ Heuſnerin.
LVX qVater OCtobrIs ſeptena CorVſCat In aVra,
TVnC neX Dorotheen DIrIpIt ILLa rapaX.

Kunigunda
Johannis Botzingeri Paſtoris Muppergenſis;
Uxor fulmine tacta interit. (Das:
QVInta CorVsCabat IVnII faX ante CaLen-
Vt KInIgVnDa poLI fVlgVre taCta perIt.

Johannes Hofmanus
Cantor Eisfeld. Collega meus hinc emigrat.
FaX ſepteMbrIs VtI ter qVinCta CVCVrrIt In aV-
EIsfeLtæ Cantor á neCe fIXVs obIt. (ras;

Jncendium Eisfeldiacum.

Ex hoc Chronodiſticho apparet. Anno 1601.

NoX VnDena bIs AprILIs, noX LVget, Vt IgnI

EIsfeLDæ SChoLa sIC ChrIſtI & oVILE perIt.

Ædificium elegantiſſimum

Eisfeldiæ ad officinam metall. funditùs igne conſumitur.

SeXta qVater MaII perIIt faX bInaqVe; Vt ÆDes

Ornata EIſfeLtæ In fInIbus Igne rVVnt.

Fruges

Fulmine & grandine tactæ pereunt.

En noCVIt, qVInCtâ MaI ſeXtâqVe, tonItrV

FranCIs, ThVrIngIs, SaXonICIsqVe LoCIs.

Jn opus Organicum

Jn Templo Eisfeld. extructum noviter.

Te, IoVa, eXtoLLant & Verè LaVDIbVs ornent

Organa, VoX, CItharæ, BVCCIna, ChorDa, tVbæ.

Chronodiſtichon

Ruinam Domûs factam Erphordiæ denotans.

ErphorDæ LVX ſeXta patet FebrVarIa; In æDe

FVnera forte qVater qVInqVe, rVIna Dabat.

Jncendium Romheldianum.

Septenæ pLVVIæ LVX Vt ſeptena CVCVrrIt;

Vrbs RoMheLta CapaX igne noCente perIt.

Bar-

Barbara
Georgij Seldij N. P. Uxor obit.

SeXta bIs AVgVſtI faCIes CoMparet ab aLto;
Vt SeLtI ConIVX BARBRA ſepVLCra sVbIt.

Obitus
Jacobi Kirchneri Collegæ mei:

EX VIVIs IaCob KIrChnerVs ContIgIt VrnaM;
In NataLICIIs, ReX bone ChrIſte, tVIs.

Manibus
Urſulæ Seldin Puellulæ:

Vt ſeptena qVater SeXtILIs & Vna VIgeſCIt:
VrsVLa SeLDen obIt CVſpIDe VICtA neCIs.

Super funere
Ottiliæ Schrammin Puerperæ:

LVX VnDena bIs Vt QVInCtILIs ab aXe CorVsCat;
DeperIt ah! partV fLebILIs OttILIa.

Jn Obitum
Johannis Grebſii mei Diſcipuli:

FebrVVs oCtaVos CœLIs ter Vt eXCIpIt ortVs;
CrebsIVs é VIta CeDIt ad aſtra pIVs.

Anna
Laurentii Conradi Filiola mundo valed.

QVInCtVs Vt aCCeLerat MaII non aLIte reCto;
EX VItâ properans AnnVLa bVſta sVbIt.

Jn Obitum
Margaretæ Münchin piiſs. Matronæ:
TrIſtIor exorItVr qVater en! Vt ſeXta IXbrIs;
MargarIs ê VItâ transIt aD aſtra poLI.

Eraſmus Suencius Adoleſ.
Ex hac mortali diſcedit vita:
FaX ter AprILIs VtI ſeptena VIgeſcIt ab aXe;
HInC InIt EraſMVs SChVVenCIVs antra neCIs.

Obitus
Januli Eyſenſchmiedts. (Cet:
SeptIMVs eXorIens OCtober ab axe reLVJANVLVS Vt LethI faLCe soLVtVs obIt.

M. Johannes Deccerus Reipubl. Eisfeldenſis ab Epiſtolis piè defungitur.
Vt bIsseXta DIes QVInCtILIs ab aXe rVbeſCat:
JanVs DeCCerVs, SCrIba perItVs obIt.

Evula
Georgij Eyſenſchmiedts Filiola obit.
MartIs VtI faX qVarta nIteт; tenera EVVLa LethI
HorrIfICI CVrVa falCe reſeCta rVIt.

Jſaacus
Ejusdem Filiolus moritur.
Vt qVater AVgVſto faX ſeptIMA fVLget ab axe:
Te LethI sVbItò CaLCar, IsaCe, neCat.

Johan-

Johannes Coroniger
Paſtor Neubronnenſis: cum Uxore, incendio perit.
Vt ter qVarta CaDIt faX IanI: CronIger, eIVs
AC ConIVX CaLIDo toſtVs In Igne perIt.

Obitus
Michaëlis Seltuli junioris. (X brjs:
Jn faCIe bIs qVInCta nIgreſCIt & Vna
SeLtVLVs Vt MIChäeL trIſtIa bVſta sVbIt.

Johannes Bertſchius
LL. Cand. in Auſtriâ, vitæ mortali valedicit.
Antè ter Vt LVXIt septena noVeMbrIs; IänVs
BertsChIVs, eX LeCtIs CœLICa regna sVbIt.

Genethliacon
Eliſabethæ Hofmannin.
SeXta NoVeMbrIs Vti ter, & Vna CorVſCat
In arCes
VItæ ConſpICVas, ELIſabetha, VenIs.

Nuptijs
Johan. Schriccelij & Suſannæ Montanæ.
SChrICCeLIo SVſanna VenIt pIa Sponſa:
NoVeMbrIs
Nona ter Vt faCIes LVXIt ab aXe poLI.

Nuptijs
Johann. Hofferi & Amaliæ Ottin.
AVgVſtI faX spLenDet VtI trIgesIMa ab aXe:
En Hoffere; tVIs VIrgo fIt apta torIs.

Nup-

Nuptijs
Chriſtophori Fiſcheri & Catharinæ
Schwenckin. (aDornant
FaX Vt qVarta qVater CoLLVXIt AprILIs:
ChrIſtophorVs tæDas ac CatharIna sVas.

Nuptijs
Georgij Eiſenſchmidij & Anaſtaſiæ
Leibin.
*FaX IVnII Vt bIs qVInta CorVsCat & Vna; Ge-
NeCtIs* AnaſtasIæ *ConſoCIaLe IVgVM.* (orgI,

Nuptijs
Jacobi Kirchneri & Barbaræ Eberlinin.
QVInCta qVater CœLo Vt nItet & faX seXta NoVeM-
BARBARA IaCobo Cara PVeLLa VenIt. (brIs.

Nuptijs
Samuelis Reuberi & Æſther
Widmännin.
*TertIVs Vt FebrVI CoLLVXIt PhœbVs ab aLtIs;
Æſthra, tIbI SaMVeL, LeCta pVeLLa venIt.*

Tædis
Wolfgangi Geigeri & Eliſæ, etc;
TertIa faX febrVos DeDVXIt ab aXe nItores:
Vt GeIgere, tVIs sponDet ELIsa torIs.

Nuptijs
Friderici Ritteri & Annæ Müldnerin.
QVInta qVater rVtILat faX & faX qVInta NoVeM-
Et RIttére, tVo præDa fIt ANNA toro. (bris.

Nup-

Nuptijs
Georgij Seldij & Barbaræ Mauerin.
BARBARA MaVVererIn nVbet tIbI, SeLDe GeorgI;
Terna ter en IVnI faX Vt ab aXe VIget.

Jn Magiſterium
Johannis Decceri Rect. Eisfeld. S.
QVartVs VtI AVgVſtI LVXIt; BrenDeLLIVs IpſI Jano DeCCero LaVrea ſerta LoCat.

Jn Ejuſdem Nuptias
Cum Euphros. Rüſhdrauffin celebr.
LVCet Vt à CœLo faCIes bIs qVInCta NoVeMbrIs:
EVphroſynæ IanVs sVaVe CVbILe sVbIt.

Nuptijs
Jani Schleuſingi & Annæ Rabin.
Vt DeCIes LVXIt CLaro FebrVarIVs ortV:
Jn LeCtos Iano DVCItVr Anna toros.

Nuptijs
Andreæ Lütſelbergeri & Catharinæ
Herrmännin.
PVrI faX MaII ter qVarta CorVsCat ab aXe:
CantorIs LeCtos Vt CatharIna sVbIt.

Nuptijs
Ottonis Muſmacheri & Kunig.
Schmiedin.
QVInCta qVater IanI faX ſpLenDet In aXe CorVsCās:
En CVnIgVnDa torI pIgnVs & Otto CapIt.

Nup-

Nuptijs
Melchioiis Franci & Suſannæ Zieglerin.

FranCe PhonaſCe,tIbI nVbIt SVſanna : NoVIMbrIs
LVX oCtaVa bIs Vt LVCet & Vna PoLIs.

Nuptijs
Johannis Gerhardi. SS. Th.D. & Barbaræ
Neumayerin.

BARBARA NeIMaIrIn nVbIt tIbI,Iane GerharDI:
SVſannæ VVLtVs ſaX Vt ab aXe refert.

Nuptijs
Laurentij Croci & Barbaræ etc.

Barbara LaVrentI LatVs & Cor oCCVpat VXor:
Vt nonVs MaI LVcet ab aXe nItor.

Nuptijs
Zachariæ Coronigeri & Suſannæ
Liebbeuerin.

ZaCharIæ sVbIIt pVLCra Vt SVſanna CVbILe:
E CœLo ter ſaX ſeXta NoVeMbrIs IIt.

Nuptijs
Heinrici Hartmanni Cant. Cob. &
Annæ Kämpffin.

Vt MaII ter ſaX oCtaVa CorVsCat: & ANNA
HeInrICVsqVe tori nIXIa ſVLCra petIt.

Nuptijs
M. Johan: Gleichmani &
Urſulæ Greuchauſin.

VrſVLa GreIghaVſIn IohannI nVbIt IſanDro:
Dena ter AVgVſtI ſaX Vt aDorta VIget.

Nuptijs
Pauli Volccij & A. Lengin.
Vt potItVr gratâ frVItVrqVe VIragIne PaVLos;
En ter ab aXe DIes nona NoVeMbrIs IIt.

Nuptijs
Jan. Coci & Magd. Meülinæ.
VLtIMVs Vt IanI CæLo LaXaVerat ortVs:
Jan-CoCVs eXornat CongrVa feſta toro.

Genethliacon
Jan-Gaſpari Eberlini ad Patrem. J.E.
ConsVrgebat VtI LVX prIMa XbrIs: In aVras
Iohan - CaſparVs naſCItVr eCCe tIbI.

Natali
Mauritij Languets.
Hæc ſaCra MaVrItI LVX eſt NataLIbVs: Ergo
HæC sVbeat faVſtè LVX abeatqVe, preCor.

S. S. S.
Jn ſuas Nuptias facieb.
VLtIMVs OCtobrIs LVXIt: tVnC aVspICe ChrIſto,
Te Stephanos grato IVnXIt, ELIsa, toro.

Nuptijs
Pauli Gramſij & Annæ Weiſſin.
LVX VbI ſaCra VenIt gratI ter qVInCta NoVeMbrIs:
In LICIto reCVbant PaVLVs & Anna toro.

Genethliacon
Annæ-Mariæ Filiæ meæ primogen.
En Vt bIs Denos AVgVſtVs teXerIt ortVs:
EX Vtero ProLes ANNA-MARIA VenIt.

Nup-

Nuptiis
Sebaldi Krugii & Mariæ Frücauffin.
Ter nItet Vt ſeptena NoVeMbrIs ab aXe: SebaLDVs
KrVgiVs InſtItVIt IVra sVbIre torI.

Nuptiis
Simonis Schnetteri & Annæ Lautenſäckin.
SIMon SChnetter & Anna Vt LaVttenſaCCIa IVngVnt
PaCta torI: faX tunC febrVa ſeXta VIget.

Nuptiis
Johannis Latermani Præfect: Eisfeld: &
Annæ Ritterin.
FebrVa faX nItet aXe noVenDenarIa; Iano
IVre LaterMano ſtrVXIt Vt ANNA toros.

Nuptiis
Georgii Coronigeri & Barbaræ Kirchnerin.
Apparet CœLo faCIes ſeptena NoVeMbrIs;
Et ſoCIata pLaCet BARBARA CronIgero.

Nuptiis
Mauritii Languets & Mariæ Amthor.
Integra MaVrItI LangVthI Cor LIgat VXor;
CLarVIt OCtobrIs LVX VbI trIna poLIs.

Nuptiis
M. Balthaſari Bertſchii & Walpurgis
Hoffmännin.
SeXta NoVembrIs VtI cVrrebat ab æthere CeLſo:
BaLthaſarVs BertſChIVs sVaVe CVbILe sVbIt.

Nuptiis

Nuptiis
M. Sebaſtiani Abeſſeri & Margarethæ
Zehnerin.

FVLget ab aXe DIes bIs ſeXta, bIs Vna noVeMbrIs;
NVbet Abeſſero Vt Zehnerlana VenVs.

Nuptiis
Chriſtophori Caroli & Amaliæ Güttigin.

LVCet ab aXe Iani CeV bIs ſeptenVs & VnVs:
ChrIſtophorVs CaroLVs IVngItVr AMaLeæ.

Nuptiis
Johani Monachi & Margarethæ Ummigeræ.

QVIntVs Vel FebrVI CoLLVCet ab aXe reſVLgens,
JohannI MonaCho nVpta noVeLLa VenIt.

Genethliacon
Heinrico S. Filiolo Meo f.

NaſCItVr HeInrIcVs proLes SIbeLIſtICa patrI;
LVX noVa beLLIgerI MartIs Vt eXorItVr.

In Obitum Ejuſdem.

FILIVS HenrICVs generIs ſpes, CLAVsIt oCeLLos:
BIs qVIntVs MaII fVLsIt Vt aXe VIgor.

Anaſtaſia Sanguttin / mundo ſubtrahitur.

StaMen AnaſtasIæ PARCÆ fataLe ſeCabant;
Ter nonâ FebrVI LVCe CaLente poLo.

FINIS.

Errata ita corrigantur.

Pagina.	Latus.	Linea.	Errata.	Correctio.
2.	1.	4.	deduxerit.	libaverit,
8.	2.	7.	SEPHANO	STEPHANO.
10.	1.	10.	petit,	perit.
12.	1.	26.	cum prole	pro mole
14.	1.	13.	Syrius	Sirius
14.	1.	22.	liqueris,	linqueris,
16.	1.	19.	nos tend:	nos omnes t.
17.	1.	5.	Mi-nos:	Minos.
18.	1.	20.	reflens	replens
24.	1.	4.	Hunc	Hanc
27.	2.	5.	Eos abit	Eous it
28.	1.	2.	tibi	tori
30.	2.	penult:	rigabat:	rigabar:
32.	2.	15.	notavit:	novavit:
36.	1.	21.	polita	potita
44.	1.	2.	Scripturâm	Scripturum
46.	2.	25.	pro	plus
48.	1.	19.	victori	viatori
53.	1.	3.	Smaragdum,	Smaragdumq;
56.	1.	3.	terres	torres

Libelli Secundi.

Pagina.	Latus.	Linea.	Errata.	Correctio.
59.	1.	9.	Toparchæ,	Toparcham.
63.	2.	poſt ultimam		

Quàm bene! lætor eò: precor & tibi fata benigna;
Ut tria Peleidæ ſecla ſuperſtes agas.
Hînc pietate vale: Pietas meret omnia. Mundo
INSITA LUCE BONA ſufficienter ERIS.

Pagina.	Latus.	Linea.	Errata.	Correctio.
65.	2.	15.	ſtaterâ	ſtatrâ
75.	2.	7.	Domus.	Manus.
81.	1.	16.	lupus	lepus.
82.	1.	6.	Burgvogdio	Burgvogdij.

A01 1464885